Digitized by Google

Digitized by Google

FAMA POSTVMA
PRAESVLVM ANTVERPIENSIVM,

Vulgata
à Rhetoribus Collegij Soc. IESV
eiuſdem Ciuitatis.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XI.

Google

REVERENDISSIMO DOMINO D. IOANNI MALDERO EPISCOPO ANTVERPIENSI.

CAMPVM & ſcribendi audaciam fecerunt nobis ij, à quibus in Rhetorico puluere lampadem accepimus annis ſuperioribus. Illi generoſos ſanè, pugnando fortiter, pugiles ſe eſſe probarunt; cùm ſemel iterumque, quos neſcio, Calumniatores validâ ſcriptione obtriuerunt. Stabamus adhuc nos, velut ad bellorum ſubita excubantes; non optando pugnam, ſed expe-

ctando diſtricti. Nullus ex eo tempore linguam ad probra appellere eſt auſus; ita Rhetoricum ſemel robur experti, ſemper deinde congredi formidarunt feminei illi gladiatores.

Hac ergo viâ monſtrandæ virtutis noſtræ ſpes omnis videbatur eſſe præciſa. Quamquam quid ſpem, & non metum potiùs dico, dedecoris arceſſendi, etiam in victoriâ hæretici infamiſque congreſſus? Profectò, quod ſatis eſt turpitudini noſtræ; iterùm (pudet dicere!) de Leydanis Calumniatoribus olim fuit triumphatum. Aliunde auguſta ſe nobis ANTVERPIANORVM ANTISTITVM materies obſerebat; ita tamen, vt quantum ſplendore ſuo alliceret, tantum argumenti magnitudine deterreret.

ret. Quis enim eâ ætate, magnos il-
los apices

——— *& ſacras contingere vittas*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſe poſſe dignè arbitraretur ? nemo ſanè tantum adoleſcentiæ confidebat, vt pro dignitate, pro merito, pro magnitudine ſibi auderet polliceri,

Tantum operis neruis hiſcere poſſe ſuis.

Verebamur ergo paſſim audire degeneres à priorum Rhetorum magnanimitate, niſi pudorem noſtrum ſcribēdo etiam aſſereremus. Quare viſum fuit, eſſe potiùs faciendum, vt periculum Iudicij veſtri, audaci feſtinatione ſubiremus, quàm conſultâ taciturnitate de ignauiâ noſtrâ ſuſpicioni locus vllus relinqueretur. Nobis itaque, ſi ſcribendo *veſaniam Chœrili ſumus imitati, vos ignoſcetis magnanimitate Alexandri.* Nam pro-

Auſonius Epiſtolâ ad Probum Præfectum Pratorio.

profectò crimen etiam fuiſſet, tam illuſtrium EPISCOPORVM conſpectâ virtute, ſcriptionis officium, impiè tacendo, corrumpere. Vnde quod Pacato Drepano Theodoſium laudaturo euenit, nobis etiam contigit; *vt dum obſequio interpretamur impudentiam, duas res diuerſiſſimas coniungamus, metum & temeritatem.*

Pacatus in Panegyrico Theodoſio dicto.

Veniam itaque ſperare poſſumus, non gloriam: qui, licet de tantis viris plura etiam diceremus quàm poſſumus; pauciora tamen dicemus quàm debeamus. Sed iniuriam hanc illis compenſabimus; ſi, quando de iis nihil ipſi ſcripſerimus quod legendum ſit, alios, quo modo vt legantur ſcribere conueniat, inſtruamus.

Cur autem, ad te potiùs, mittimus libellum hunc, REVEREN-

DIS-

DISSIME MALDERE, vides, credo ſatis; cùm ſponte cucurterit in ſinum tuum. Non miſimus ergo, ſed vltrò fugit ad te, non manumiſſus; & vt ſerui fugitiui, abiit ante vindictam. Profectò ante ternam vertiginem, lituris adhuc ceu catenis onuſtus, exſiliit in tabernas Chalcographorum. Ignoſces ſcio, vbi cogitaueris tecum, imbecilles adhuc nos, tam pugnacibus chartis vehementiùs obſiſtere non potuiſſe. Nam ſi audaciam earum, eruditionis tuæ magnitudine conabamur reprimere; reclamabant nimirum, ſe tibi deberi REVERENDISSIME MALDERE, velut hereditario iure, quòd de magnis PRAESVLIBVS, Anteceſſoribus tuis, loquerentur.

Veniunt itaque functi ANTISTI-

TES tamquam aui atauique ad heredem ſuum. Quare ſi non magnificam noſtram, ſed humilem de iis dictionem, illos ſaltem, eorumque virtutes in eâ, ſperamus, admiraberis atque amplectêris.

R^{MAE} D. V.

Clientes obſeruantiſſimi

Rhetores Collegij Soc. IESV
Antuerpiæ.

Digitized by Google

DE PRIMIS ANTVERPIENSIVM APOSTOLIS,

Qui Catholicam fidem huic olim genti intulerunt.

VIDEBATVR inſtituti noſtri eſſe, non ſolùm eos Antiſtites recenſere, quos prudens iuxtà ac neceſſaria Tridentinorum Patrum ſollicitudo, cùm variis Belgij ciuitatibus, ad hæreſes propulſandas, tum huic etiam vrbi præficiendos iudicarat: ſed illos prætereà, qui ſummâ laude Chriſtianam fidem velut hoſpitem populo huic primùm infuderunt, memorare.

D. ELIGIVM Neruiorum ac Nouiomenſium præſulem, beatus Audoënus, Antiſtes Rhotomagenſis illi coætaneus, *iugi inſtantiâ in Andouerpis decertaſſe* affirmat. HVMBERTVS (ELIGIO, incertum an prior an poſterior ætate) apud Ioannem Molanum, libro Indigetum Belgicorum, Antuerpienſibus etiam vindex aſſignatur.

Venerandæ antiquitatis verſus ait accepiſſe ſe is Auctor, è Cœnobio D. Michaëlis; quibus eam rem commonſtrare poſſit. Adnectam hîc, fidei faciendæ causâ, ſi non metro expolitos, certè ob vetuſtatem venerandos:

Inclyte qui meritis fulges HVMBERTE *coruſcis,*
Cuius ad exemplum vitæ ac moderamina, quondam
Barbara doctrinam nacta eſt Antuerpia CHRISTI.

Succeſſit his D. VVILLIBRORDVS, qui bonis ſanè auſpiciis anno IↃCXCII. è Britanniâ in Galliam appulſus, Belgicam pęnè vniuerſam torrentis more peruaſit. Vir fuit ſanctimonia atq; auctoritate planè inſignis. Vitam eius luculentè ac copiosè ſcripſit Theofridus quidam Abbas Monaſterij Epternacenſis, ab ipſo VVillibrordo apud Luxemburgẽſes exſtructi. Illud ex eâ hiſtoriâ, quod Antuerpiam noſtram ſpectaret, potiſſimum viſum fuit: *Huic adhuc viuenti* [VVillibrordo] *Rhotingus vir præpotens dedit Eccleſiam in Antuerpo Caſtello, ſitam ſuper Schaldi in pago Rienſium, cum villis, appenditiis & parte tertia telonij eiuſdem Caſtelli, quod nunc eſt Marca Regni.*

Adiungerem his magnum Præmonſtratenſis Familiæ ornamentum ac Principem

NOR-

Norbertvm;cui an plus pro inſtaurata atque aſſerta, quàm aliis pro inuecta Religione ab Antuerpienſibus debeatur, dubium mediusfidius eſt iudicium. Sed vetat propoſiti libri ratio, qui tractandum de Epiſcopis argumentum ſuſcepit. Sanctis ergo maximiſque viris,

DIVIS
ELIGIO, HVMBERTO
VVILLIBRORDO,
ANTVERPIENSIVM APOSTOLIS,
Poſtumæ Famæ
æternum hoc ponimus Monimentum.

ITe, ite, ſæui Martis Erynnides,
Ite ô nefandi nomina ſtemmatis,
Pudenda proles, ite rixæ,
Ite feri ſoboles parentis:
Non hîc profanis bella furoribus
Antuerpianæ mœnia patriæ
Lixáſve poſcunt inſolentes,
Non Scythici comites Tyranni:
Veſtros labores atque manus probet
Inſanientis Regia Sarmatæ.
Ite, ite fatales cateruæ
Odryſias populate terras.
Pugnata læto bella ſub aggere,
Pugnata ſacris bella phalangibus

Anuerſa

Anuerſa cantat, & frementes
ELIGII *per inane glandes,*
Et prælianti fulmina Numinis,
Natiua linguæ fulmina viuidæ,
Queîs mille peſtes, mille circùm
Barbaricæ cecidere turmæ.
Nec bellicoſas inter imagines
Silet fauentis ſpicula Præſulis;
Et concitum HVMBERTVM *per hoſtes,*
Per medias celerem cohortes.
Hic incruentam Martis adoream
Laurumque ſacræ Pallados euehit:
Quem Barbaræ circum phalanges
Compoſitis venerantur armis,
Dum ſanctioris militiæ vomit
Baliſta nimbos ſtridula ferreos;
Et pertinax teſtudo ſcandit
Per medias acies, per enſes
Hoſtile vallum, captaque culmina
Latè pererrant viuifici rogi,
Circumque currentes per agros
Aduaticos ſine morte mortes.
Mox, vt ruina pondera ſaxea
Rudeſque maſſas, & ſilicum ſtrues
Chely coëgit blandienti
Inſolitos agitare greſſus
In alta vates Ogygius loca,
Cùm ſaltitantes dulciſonam petræ
Struxere muros ad camœnam
Et placido ſua membra vultu;
Sic indecoram ruris imaginem,
Et efferati progeniem laris,
Veram redegit ad quietem

Et

Et nitidæ faciem iuuentæ,
Qui contumaces frangeret æquoris
Saltus, & atri barbariem freti,
Truceſque WILLIBRORDVS *amnes*,
Et Geticæ rabiem cateruæ.
O quàm profundis abdita noctibus
Anuerſa, quantis nubila ſordibus,
Nefas! iaceres, heu! iaceres
Præſidio viduata tanto?
At nunc (relabi quis Tiberim neget?)
Anuerſa claro fulgida vertice
Gratoque nobilis trophæo
Sacrificis reuireſcis armis.

Iacobus de Cater Antuerp.

Excitatus hoc cantu, vt fit, ad exempla ſodalium, dicendi prouinciam ſibi flagitauit Theodorus Middelton. & hîc, velut inter Heſiodum & Homerum olim apud Melyci tumulum, pro laudandis magnis illis Fidei TRIVMVIRIS decertatum eſt.

HVc age Phœbe chelyn, non quâ funeſta canuntur
Prælia, & Auſonio ſtillantes ſanguine Cannæ;
Quæ Trebiæ clades, debellatoſque cruento
Marte duces, patriæque ferox in viſcera ferrum
Plangit, & Emathiis ciuilia prælia campis:
Sed mitem, quâ geſta ducum & ſtructa oppida ludit
Manſuetis Cyrrhæa modis: viridique reuinctus
Fronde caput, ſolitaque incinctus daphnide frontem
Laurigerâ mecum verſus luctare ſub vmbrâ.
Heroo dabimus plectro ſacra prælia, quondam

Adua-

Aduaticis certata iugis, lataſque iacentis
Hareſeos ſtrages, cùm debellata receſſit
Barbaries, CHRISTI*que fidem, melioraque vidit*
Signa ſerenato ſurgens Antuerpia vultu.
Prima ſed ELIGIO *debetur gloria, primus*
ELIGIO *debetur honos, qui inculta pererrans*
Littora, Flandriaco contermina littora Scaldi,
Cùm ſteriles campos ſilueſcentemque videret
Barbariem, circumque malis cingentibus agra
Marceret probitas, & rarè ſparſa iaceret
Hinc illinc virtus, vt cùm ſitientibus aruis
Arida ſquallenti ſeges interlucet ariſta;
Mox Fidei inſuetis commiſit ſemina terris,
Quæ largos parerent fructus, quæ ſurgere poſſent
Fecundo concepta ſolo: nec defuit ipſa
Terra ſibi, dominúmve ſeges ſpe luſit inani:
Extemplò impregnata Fides, ſua germina latè
Diffudit, floremque ſuo concepit ab ortu.
At poſtquam ætherium fato iam raptus in axem
Antiſtes, ſacris ſoliꝗ ſucceßit habenis
HVMBERTVS, *qui lege rudes contraxit in vnum*
Corpus agros, docuitque feros miteſcere cultus.
Ne rurſus, non culta tamen, pereunte Colono
Squalleret; vigilis ſucceſſit cura magiſtri
WILBRORDIQVE *labor: ſtudium cui prima fouere*
Semina, & è terrâ virides educere plantas.
Qualiter agricolæ, tenero cùm germine primas
Herba oſtendit opes, nondumque enixa, futuros
Promittit fœtus, campo ſitiente, liquores
Adſpergunt, terramque fouēt, alimentaque præbent,
Vt largo matura die, ſatiataque vernis
Roribus, effundat grauido ſua munera campo.
Tandem etiam, lapſaſque domos, & ſquallida longo
Tecta

Tecta ſitu, veteremque ſui medicare ſenectam
Antuerſa inſtituit, ſubitiſque attollere muris
Mœnia, ciuileſque caſis inducere vultus.
Innumeræ coiere manus: his ſcindere rupes
Oppoſitas labor eſt: hi ſaxa rigentia ferro
Horridaque inuictæ diffringunt viſcera terræ.
Non Aganippeæ ſtabant velociùs arces
Rhœteúſve labor, mœſti quàm vulnera pagi
Rugoſaſque iterùm videas iuueneſcere ſedes.
Nec ſatis hæc reparaſſe fuit. Noua mœnia circùm
Fundit, & inſcripto profert pomeria ſulco.
Dum facies mutata locis, incultaque dumis
Saxa, indignanteſque hominum veſtigia rupes
Artifices domuere manus, genus omne ferarum
Diffugit, & pulſæ quærunt ſua luſtra Napeæ.
Ipſæ pumiceis ſpumoſi Scaldis ab antris
Exſiliunt vltrò, vallataque mœnia cernunt
Et vaſtum mirantur opus, cultuſque locorum,
Templaque, & immenſis loca circumfulta columnis.
O felix veteres exuta Antuerpia mores,
Barbaricoſque oblita animos! quòd nobilis omnes
Vna ſuper Belgî celſum caput exſeris vrbes,
Quòd cælum ſolemque ſuum te Belgica clamat,
ELIGIO HVMBERTO*que cliens, magnoque patrono*
WILBRORDO *penitis debes Antuerpia fibris.*

FINITO certamine primi funeris, priuſquam ad noui Præſulis gratulationes iretur, in altero iterùm funere fuit lacrymandum. Poſtquam enim anno M. D. LIX. PAVLVS IV. & anno M. D. LX. PIVS IV. Pontifices Maximi

Maximi, Cathedralis Eccleſiæ titulo, Collegiatam anteà B. VIRGINIS, inſigniuiſſent; primum Antuerpianæ Diœceſis Antiſtitem, Hiſpaniarum Rex PHILIPPVS II. è Cancellario Equitũ Auratorum PHILIPPVM NIGRIVM obtulit anno M. D. LXI. Pontifici confirmandum. Sed, quaſi detrectaſſet ſacrũ onus, antè extinctus eſt, quàm inauguratus. Placuit tamen tanti viri encomia primùm celebrare, quàm immaturam mortem deflere. Igitur

PHILIPPO NIGRIO
ab Hungariæ Regina euocato in Concilium Mechlinienſe
ita plauſit Iacobus de Cater.

VT cùm magnarum dubiis molimina rerum
Inſedere animis, & ineluctabile pondus
Verſat, & ancipiti curarum voluitur æſtu
Iuppiter; extemplò ſummis de rebus agundis
Imperium qui ritè ferat, volat impiger Hermes
Conſenteſq́ ad ſacra vocat penetralia Diuos,
Quos penes imperium ſuperûm, queîs iuſſa Tonantis
Scire datum, partemq́ Ioui dempſiſſe laborum:
Seu placet aſtriferis Volcanum pellere terris,
Siue Lycaoniæ damnatum crimine culpæ
Deucalionæâ mundum obtexiſſe procellâ;

Conne-

Conuenere dei, varia ſententia mentis
Panditur, & tacitè tabulas vomit vrna loquentes:
Sic cùm nutaret dubio Mechlinia caſu,
Hæc ſecum, pariterque tibi, tibi, maxima, NIGRI,
Hungaris, Hungarici moderatrix inclyta ſceptri:
Quò pietas, quò priſca fides, conſpectaque NIGRI
Virtus, & nullo titubans conſtantia motu?
Scilicet hic nigris ſeſe occultare tenebris
NIGRIVS, *& meritis tentet fraudare trophæis?*
Dent tibi lucifugas, dent nigras nomina voces;
Candida degeneres mens indignata latebras
Per medios micat alta ſitus, nomenque peroſa
Per turpem erumpit grauidæ caliginis orbem.
Sic vbi cæca diem nigro furatur amictu
Tempeſtas, auſertque polos & lumina mundo;
Aurea templa latent, latet inter ſquallida Phœbus
Nubila, pendentes circum maiore ſereno
Luſtraturus aquas. E nigris candida. Subde,
Subde manus. trepido NIGRIVM *Mechlinia vultu*
Clamat, & auguſti poſcunt conſulta Senatus.
Nota fides NIGRII, *nota eſt conſtantia genti;*
Sufficiat, ſi ſola mihi. Cape præmia celſæ
Indolis, & noſtri merita argumenta fauoris.
Dixerat: & plebes, ſanctique, interprete Famâ,
Audiuere Patres; *iuſſis ſuccedit habenis*
NIGRIVS, *& iuſſo dudum inuitatus honori.*
Quis tunc, quis fuit ille dies? quæ gaudia feſtis
Mœnibus? & quanto ſalierunt pectora voto,
Cùm propiùs ſpectare datum eſt, plauſuque decenti
Excipere auguſti ſubeuntem limina tecti?
An tales animoſa ſinus, ſeque obtulit ingens
Curia, cùm cautâ ſpeculator mente futuri
Scanderet arcani Fabius ſacraria templi?

Perge NIGRI, *ſic albus eris. perge, inclyte perge,*
Hac ad maiores NIGRI *datur ire triumphos.*

Poſtquam Teruanâ in Mechlinienſe Cõcilium euocatus fuiſſet anno M. D. XXII. NIGRIVS; in Cancellarium deinde Equitũ aurei Velleris promotus eſt. ſimul in Diuæ GVDVLÆ (quæ primaria eſt Bruxellenſium Ædes) Decani munus geſſit. Itaque

IN AVREVM VELLVS
PHILIPPI NIGRII
ita luſit
Conrardus Tucherus Antuerp.

O Quid ſuperbæ robora Græciæ
Audax Iaſon per ſcopulos trahis,
Nondumque tentatas procellas
Palladio ſubigis caballo?
Inſana pubes quò ruis inſcia
Lentare remos; diſſociabili
Diſterminatas quid laboras
Oceano reſerare gentes?
Periculoſæ quod pretium viæ?
Aurata pellis ſcilicet, & mari
Medea peior, tot per æſtus
Impulit & miſeros labores?
Ille, ille Phryxi portitor, impigro
Dracone tutus, pelle ſuperbiens
Tam nobili, Regum cateruæ
Principibuſque feret ruinam.

Quanto

Quanto parabis vellera ſanguine!
En, prouocatis æquora fluctibus
Tot haurient duces, piantes
Iura feri temerata ponti.
Inſane Iaſon flecte retrò ratem:
Pòſt pœnitebit, ceſſerit ignea
Cùm turba Taurorum, ſuperbi
Raptor ouans rediturus auri.
Seianus haud ſic obſuit inclytis
Equus magiſtris. qui ſpolium aureum
Demittit inſignes per armos,
Exitium laqueumque nectit.
Feliciori vellere NIGRIVS
Gaudens triumphat, non trabe Theſſalâ,
Amfractuoſos per receſſus,
Per rabidum pelagus petito;
Non comparato ſanguine nobili,
Non flore Graio per maris æquora
Ignota collato, ſed illo
Quo probitas animuſque gaudet.
Tu, pelle, NIGRI, *diues es aureâ*
Felixque; Iaſon pauper, & impiâ
Cum coniuge infelix, paternos
Ante oculos lacerante natos.

Cùm rectè atque ordine gerere omnia NIGRIVS in officio videretur; anno M. D. XXXV. in Status Concilium adlegitur, Prudentiæ commendatione ac virtutis. Quod ita canebat Melchior VVaterfort Trudonopolitanus:

QValiter Herculeâ poſtquam ceruice pependit
Stellarum librata domus, flammataque cæli
Curia, cœruleo ſtabat pax aurea mundo,
Tutaque perpetuas agitabant aſtra choreas:
Mox vbi collapſæ vires, laſſataque ceruix
Impoſitum iactabat onus; turbata ruebant
Confuſis elementa viis, aurataque Phœbes
Agmina commotis hebetabant nubibus ignes:
Non ſecus Imperij poſtquam laſſata PHILIPPVS
Pondera, conſiliis manibuſque humeriſque ſubiuit;
Belgia torpentes rurſus ſplendore renato
Erexit vultus, vigilemque animoſa timorem
Exuit, & propriâ decorauit lumina flammâ.
Cùm tacitæ iacuere genæ, forteſque ſenecta
Exedit vires, tecum rugoſa cadebat,
Langueſcenſque pari miſcebat funera fato.
Audaces ſolus motus æſtuſque tenebas
Excubiis animi: quoties creſcentia belli
Germina, damnoſaſque tubâ Bellona feroci
Spiraret cædes, nil inflammata remiſit
Officij virtus, contra ſurgentia fata
Peruigil, aduerſis gaudentem animabat honorem.
Qualiter Ægeo deluſus nauita ponto,
Inflexu claui ſæuos declinat aquarum
Ictus, nunc rectâ, nunc obliquante carinâ
Callidus, vndoſos prægnantis Tethyos æſtus
Corrigit, & longo caſtigat cærula ſulco:
Sic rabidas Martis furias, motuſque rebelles
Fregiſti; & dubiæ medicando vulnera Pacis,
Æternam aurato ſignaſti lumine famam.

Anno M. D. L. I X. ex omni Equitum Auratorum ordine, non alius viſus eſt dignior, qui

qui honorificentiſſimâ legatione fungeretur ad Galliarum Regem, PHILIPPO NIGRIO. Adornabatur ea profectio ad offerendum ordinem aurei Velleris Chriſtianiſſimo Francorum Regi: quam ita deſcripſit Theodorus Middelton Antuerpienſis.

VT cùm Phryxeo ſpoliatis vellere Colchis,
Ad patrias rediit ſedes, & regna relicti
Æſonis, æquoreos proles tentata per æſtus,
Erexit ſeſe dubiis priùs anxia votis
Regia, feſtiuáſque dedit plebs obuia voces,
Ceu populi certaret amor, plauſúſque ſtupenti
Reddidit, & vero diſpenſans gaudia vultu
Præſentem eſt complexa ducem, qui Colchica ſecum
Munera, qui rapta reuehebat pignora teda,
Edomito vincens pretioſa pericula ponto:
Sic vbi Gallorum ſublimibus oppida muris
Condita, quæ Rhodanus lentis interſecat vndis,
Explicitis diffuſus aquis, te ſacra ferentem
Pondera, & Aurati portantem tergora villi,
Nec notum videre virum; maiora dedêre
Gaudia, quàm patria Æſonidi, cùm diuite prædâ
Theſſalicos raptâ petiit cum coniuge portus.
Ille emptum ſummo retulit diſcrimine vellus,
Sed tibi delatum eſt NIGRI; *tu Regia perfers*
Munera, ſufficiunt illis tua pectora rebus,
Et tantus mandatur honos, teque illa popoſcit
Gloria, Gallorum vt proceres, vt tanta videres
Sceptra, triumphalis faſtus imitantia Romæ.
Nuntia ſollicitam vix fama impleuerat vrbem,

 Ardet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Ardet in aduentum populus, feſtinaque. feruent
Pectora, panduntur portæ, ruit vndique vulgus;
Incuſat ſpes ægra moras, ſuſpenſáque librat
Gaudia, & incertis ſaliunt præcordia votis,
Gratanti donec medius ſeſe intulit vrbi.
Illa ſtupet, ſpectatque, húcque illuc lumina verſat,
Aſtantem permenſa virum: iuuat ipſa videntem
Celſa poteſtatis ſpecies. hinc poplite flexo
Se Regi inclinat, maieſtatiſque ſerenos
Mulcentem radios, & lumina fixa tenentem
Affatu vultúque petit, donandáque præfert
Munera, ſacratæque offert inſignia palmæ.
Oblatum capit ille decus, dextráque prehenſum
Alleuat, & merito iuſtos indulget honores.

Feſtinanti ad Mortem Nigrio, cùm virtutis dignitatiſque metas pænè attigiſſet, nouus ecce ſeſe obtulit honos: anno M. D. L X I. primus Antuerpienſium Præſul deſignatur. ſed priuſquam auſpicaretur Epiſcopatum, fato conceſſit. Ergo

LACRYMAS
PHILIPPO NIGRIO
ita perſoluit
Hieronymus van Seurck Antuerp.

MOeſti ſonis luge citharis, & flebile carmen
Funereâ deplange lyrâ, triſtémque ſiniſtræ
Da ſonitum mihi Muſa chelys: Parnaſſia cautes
Mœreat, & pullis ſordeſcant lumina ſertis:

Præ-

Præſagis ſolitæ florum radiare tapetis
Purpureæ fluuij ripæ, ſquallentibus antris
Torpentes voluant lymphas, dum dira reuoluo
Funera, & horrenti NIGRIVM *leſſo lamentor.*
Te fortuna animi, & mentis generoſa poteſtas
Culmine fundarat fati, totieſque celebri
Pyxide ditarat lauros: monumenta nitebant
Pectoris, auratóque coruſcans ſidere virtus.
Tu genus ipſe tuis; retrò præmiſſa micabat
Nobilitas, nec ſtirpis egens, ſed poſtumus ignis
Fulgentes ſuperabat auos. per triſtia vectus
Flamina, & armatæ ſalebroſa cacumina ſortis,
Humani victor fati, ſublime tenebas
Culmen; & aſſurgens calcabat fulmina virtus.
Qualiter aërio deſpectans vertice Olympum
Celſus Athos, Diuûm ventoſa tonitrua ridet,
Et diras ſpernit hiemes, deluſa remittit
Flamina, & inuicto fruſtratur monte furores.
Ambibat ſacros Anuerſa potentior ignes,
Et mitræ dignos apices: venerandáque ſceptra
Præſulis, auguſtoſque pedi ſperabat honores,
Impatiens vilis ſenij. Iam vota Philippus
Imperio felix Batis, mœſtáſque tenebat
Supplicis Anuerſæ lacrymas; ſecũ vſque reuoluens
Diuerſos animos Patrum, quem tale ſequatur
Imperium, cuiuſque fides ſub faſce triumphet.
Diſſenſu vario certat fauor: æquior ille
Patribus, ingratus populo: communibus illum
Munitum ſtudiis deſpectat gratia Patrum.
In te, magne NIGRI, *variis diſcordia cedit*
Ordinibus, conſentit Eques plaudente Senatu:
Votáque priuatâ gaudent communia linguâ.
Auſpiciis lætata tuis Anuerſa iacentes

Inſtaurat, tollitque animos; oblatáque, NIGRI,
Munera,naſcentéſque tibi gratatur honores.
Proh rabies veſana Deûm! proh dura Sororum
Licia! cur triſtes iterùm miſcere ruinas,
Et fulmen torquere iuuat? quid dira minaris
Parca manus? quò Diua feros grauis exeris hydros?
Muneribúſque armata tuis, dulcique fauillâ
In te cæca furis? propriis Rhamnuſia donis
Inuidet, & ſeſe damnosâ vlciſcitur irâ.
Vix mitræ natos apices grauiore ruinâ
Polluit infamis Clotho, *temeránſque curules,*
Sanguineo gaudet ſellas depingere fuco.
Aſt ignara mali, nec tanti Antuerpia caſûs
Conſcia, ſecuro reſerat inhiantia vultu
Mœnia, diuitiáſque ſuas radiantior auget.
Haud ſecùs officiis trepidantibus anxia mater,
Iam matura toro natarum pectora comit,
Aduentante proco, peplumque & cingula ditat
Tethyos exuuiis, & gratâ lege colorum
Purpureas ornat veſtes, rutilique metalli
Deformes alieno illuſtrat lumine vultus.
Læta timet, voluitque moras: nunc anxia plorat,
Et dubiis hæret fatis, nunc fronte ſerenâ
Caſtigat lacrymas: dubio ſpes voluitur Auſtro,
Ancipiti credens famæ: trepidantia rident
Gaudia, & eluſis torquentur triſtia votis.
Qualiter Æoliis agitantibus æquora turmis,
Non eadem ſæuit rabies, nec ſemper anhelis
Vorticibus canet Nereus: ſed ſæpiùs alto
Pax regnat tranquilla freto, placidáſque per vndas
Feſſa quieſcentis ludunt veſtigia Cori.
Deſere ſollicitos trepidantis pectoris æſtus
Et dubios Annerſa metus, tibi Numina tantum
Inui-

Inuidère decus, radiata palatia cæli
Prætorem optarunt NIGRIVM, *rutilúſque Senatus*
Aſtrorum meritâ cæli ſtatione locarunt.

In fletu vocem abruperat Hieronymus, cùm Threnum ſuum adiecit Theodorus Middelton, alterumque poſuit

EPICEDIVM
PHILIPPO NIGRIO
nimis, heu! maturè abrepto.

DA tantùm lacrymas & lamentabile carmen
Elyſio de fonte mihi, da Muſa dolores,
Da triſtes gemitus. quid non crudelia fati
Iura valent? quid non ſæuæ violentia mortis
Audeat? heu rapit illa, rapit, quos candida morum
Integritas, iunctoque grauis cum pondere virtus
Nobilitat, quibus ambitos largitur honores
Maieſtas ignara tegi; non faſcibus audax
Purpureiſve indulget amictibus, æqua curules
Sternere, & ambiguos plebi confundere Reges.
Luctantes in fata tenet, fruſtraque negantes
Calcat, & æterno cogit parere lupato:
Deuictumque trahit NIGRIVM. *prô! ſuſtulit illa*
In noſtris gauiſa malis, quem ſacra popoſcit
Inſula, promiſſumque ſibi complexa Poteſtas
Ambijt, & meritum ſacris admonuit habenis:
Quem mitram amplecti iuſſit, meritaque peractæ
Virtutis mercede frui. Iam Anuerſa rogabat
Abſentem vidiſſe virum, longoſque ſtupebat
Stare dies, queruloſque dabas pro tempore planctus,

Incerto ſuſpenſa metu, ſperanſque timebat
Non ſecurus amor; ſpes hinc, timor inde, trahebant
Ambiguam, mixtaque tremens formidine votum,
Voluebat dubios incerti pectoris æſtus.
Credulus ah amor eſt nimiùm, nimiumque futuri
Ignarus! veniens omni dum crederis horâ,
Mors heu! mors nimiùm fallax deluſit amantem!
Venturum iam iamque putat, creditque videre.
Sed vultus quos fingit amor; gaudetque, timetque,
Luctaturque iterùm ſecum, dubiumque per æſtum
Nutat, & incertis fluitat ſpes anxia votis.
Sæpè timor nimiùm verus, certuſque futuri
Eſt augur; ne pelle metus Anuerſa: dolori
Præludens, en mors: en luctus: gaudia cedunt,
Triſtis vbique dolor, inopinaque mortis imago:
Omnia mœſta tibi, mœſta omnia, nuntius intrat,
Nuntius en, loquitur facies perculſa, timorem
Elinguis loquitur vultus. quæ verba? quid audis?
En fatum, fatum clamat. proh triſtia fata!
Anuerſæ ſpes vna iacet, mors omnia ſecum
Abſtulit. Anuerſæ rapuit mors triſtis amores.

ACERBVM ſanè ac graue acciderat Vrbi Antuerpienſi, deſignatum ſibi Præſulem eripi, fato ita repentino. Omen fuiſſet infelicitatis futuræ, niſi in locum eius, bonâ profectò fortunâ, vir doctiſſimus FRANCISCVS SONNIVS fuiſſet ſubrogatus. Is Doctoratum Louanij adeptus eſt:& poſtmodum libros ſcripſit *Demonſtrationum Fidei Catho-*

licæ

lica ex verbo Dei; quos Tridentina deinde Synodus etiam probauit. Huius ergo LAVREAE ſic gratulabatur Hieronymus van Seurck Antuerpienſis.

FVmoſas atauûm iactet ſtirps inclyta ceras,
Auguſtoſque patrum vultus; tituloſq. verendis
Dinumeret tabulis, capſis opulenta paternis
Atria, & antiqui referat monumenta Gradiui:
Tarpeio exuuias pendentes colle Gigantum,
Æraque veſtitis ſuperatâ claſſe columnis.
Conſita, ſanguineiſque vndantia ſigna colubris
Et Martis celebres aquilas, prædaque nitentes
Innumeros arcus; veterumque attollat honores
Ventoſis gaudens titulis: tibi docta Minerua
Nobilitas, magnis tibi parta inſignia chartis
Et calamo victore decus: tibi laurea vernant
Atria, facundiſque animi ditata triumphis
Serta virent, capſiſque ſuis doctrina refulget:
Ingenij te cingit honos: te celſior effert
Gloria, & illuſtris celebrat Bellona theatri,
Cùm radijs aſperſa tuis fallacia certa
Hæreſeos commenta patent; penitaſque latebras
Eruis, & cæcam colluſtras lampade gentem.
Qualiter aſtrorum prætor cùm luce renatâ
Ignea templa ſubit, flammataque mœnia Diuûm
Calcat equis, rutilis circumſtipata maniplis
Cynthia mœſta fugit cælo; longeque coruſcis
Nox depulſa rotis, refugo vaneſcit amictu.
Ingenij FRANCISCE *tui molimina tanta*
Purpurei Romæ proceres, Fideique decora
Maieſtas, meritique olim coluere fauores.

Ipſa

Ipſe etiam radios ſtupuit prudentior orbis,
Attonitiſque hæſit flammis, dum ſacra Tridenti
Curia perculſas chartis audacibus aures
Senſit, & obtuſas meliori luce tiaras.

Lyrâ arreptâ, confeſtim Iacobus de Cater, eidem FRANCISCO SONNIO Theologiæ Doctori pro edito libro *Demonſtranum Fidei Catholicæ*, hoc pangebat Epos.

O *Quàm ſuperbo turgida vertice,*
Vanoque inanis turbine gloriæ
Elata, mobiles laceſſit
Ambitio malè ſana mentes;
Dum longa docta numina lineæ,
Viuaſque ceras, & proauûm genus,
Galbaſque Coruinoſque iunctos,
Et veteres Curij nepotes,
Per grandioris culmina porticus
Fumoſa, virgâ indice comprobat,
Circumque ſqualentes ruinas
Sollicito volitat meatu!
Non iſta mentis lumina faſcinat,
Non iſta ſenſus gloria concitat,
Rectumque SONNII *tenorem,*
Non animos generoſiores.
Tu celſiori ſtemmate viuidi
FRANCISCE *reples atria pectoris,*
Ceriſque, quas non fœda fumo
Et tumido variata cinctu
Condat vetuſtas, mutaque temporum
Proles amictu ſopiat abdito:

Sed

Sed quæ per æuum poſterorum,
Per ſeriem volitantis anni,
Spargant fauillæ fulgura flammeæ;
Magisque longâ ſidereæ die,
Per damna ſæculi labantis,
Per medias niteant tenebras.
Doctrina ſedes incolit intimas,
Sororque Virtus. hæc tibi linea
Innata ſtemmatis decori,
Nobilis hæc tua cera ſtirpis;
Quæ non profundis obſita nubibus,
FRANCISCE,*claris geſtit honoribus,*
Dum ſacra deſtinat corona
Laurigeros Sophiæ triumphos?
Tuos labores, & ſtabilem fidem
Et ignientem ſidere proprio,
Sacróſque niſus, conuocatus
Vidit & obſtupuit ſacerdos.
Nam candidatæ, per mare pendulum,
Qualis ſerenâ dum facie micat
Parens diei, dum coruſco
Carpit iter rutilum meatu,
Potentiori ſuſpicientium
Reflexa ſtringit lumine lumina;
Sic fulgido percellis aſtro
SONNI *oculos radiis propinquos.*
O non pudendâ dignus adoreâ!
O ſanctioris militiæ decus!
O altiores quem nitores,
Quem meritæ decuere laurus!

Sub-

Subſecutus eſt in idem argumentum Theodorus Middelton Antuerpienſis, & fatali quadam nominis vicinitate SONNIVM SOLEM quemdam eſſe oſtendit.

QVid Regum trabeas, & auitis nixa triumphis
Atria, & inſignes numeroſo conſule faſtos
Nobilitas inflata canit? quid vana parentum
Stemmata, quid mutâ ductos in imagine vultus?
Nec verâ de laude tumet? perit omnis in illo
Nobilitas, cui tantùm ataui, cui gloria ſtirpis
Sola, nec admixtos virtus largitur honores,
Vnica nobilitas. cui laus in origine ſolâ,
Veræ laudis eget. tu non inflata parentum
Nomina, non titulis SONNI *ſuſtollis honores;*
Sed proprio de ſole micans, aliena repellis
Lumina, doctrinæque velut fulgore coruſcans
Lucentes ſpargis radios; atque æmula ſoli
Emicat, & proprio reſplendet gloria Phœbo.
Non veluti quoties alienis currere bigis
Tentat, adoptiuas emulgens Cynthia flammas,
Et fratre eſt veſtita ſuo, conceſſaque iactat
Lumina, Phœbeis conflans ex ignibus ignes.
Teſtis noſtra Fides, illo quæ clarior igne
Splenduit, & pulsâ rerum caligine fulſit,
Ingenio luſtrata tuo, noctemque fugatam
Senſit, & adiecto renouauit lumine lumen.

Eruditio & Pietas SONNIVM tandem ad Siluæducenſem Epiſcopatum euexerunt. Quatuor annis ſacrę ibi Reipublicę prępfuit, poſtquã Romæ apud PAVLVM IV. de Conſtituen-

ſtituendis per Belgium Epiſcopis conſilia agitaſſet. Id canit Theodorus Middelton.

Pompeij loquitur Muſarum pagina laudes,
Sublimeſque in bella animos, atque æmula Marti
Pectora, perpetuis olim cui fœta triumphis
Gloria, quem fuſo crudeſcens ſanguine ferrum
Euexit, virtuſque ſuis inclaruit auſis,
Dextráque venales nolens captare fauores
Nobilitas fuit ipſa ſibi, ſeſeque leuando
Extulit, & ſenſim maioribus inclyta factis
Fortunâ creſcente fuit, tandem æmula Marti
Alta Quirinalis ſcandit faſtigia Romæ.
Non aliter tua te virtus, æquatáque cælo
Gloria, quæ Pompeianos ſuperare triumphos
Gaudet, & armorum vincit felicior auſus,
Sacratum complexa decus, meritâque refulgens
Infulâ adoranti clarum te præbuit vrbi.
Mox maior tibi ſurgit honos, commiſſáque maior
Cura, & ſacrarum mandata potentia rerum:
Vt per Belgiacas vigilantia lumina terras
Acriùs obiectis poſſent confligere rebus;
Nutantem firmare Fidem, quid Belgia poſcat.
Cernere; quis fato paſtor rapiente relinquat.
Palantes errare greges; quem ſacra repoſcat.
Infula, quiſve grauem poßit ſuſtollere molem
Obnixus contrà, cui digna euoluere tantas
Sobria corda vices, ſuccinctáque pectora curis;
Cui vigiles multùm ſenſus, & pectore magno
In cuſtoditis laudata induſtria rebus.
Omnia (quis credat) ſe vnius pectore condunt.
Tali proſpicienda viro; te tota ſtupeſcit
Belgica, & in ſacros reſpirat libera cultus.

ESil-

E Siluæ-ducenſi Epiſcopatu, ad Antuerpienſem Infulam euocatus eſt SONNIVS, anno M. D. LXX. quam illi ita gratulatus eſt Theodorus Middelton.

CReta puerperio quondam celebrata Tonantis,
Et ſummo dilecta Ioui, quæ germen Olympi
Felici complexa ſinu, pro numine tanto
Attollat ſublime caput, ſeſéque Deorum
Nutricem matrémve vocet; nec laudet alumnum
Sola ſuum, pugnent vrbes, vicinaque iactent
Oppida, ſe tenero potiùs reptata Tonanti.
Cælesti tumeat Delos Latonia partu
Cæleſtes iactans magna incunabula fœtus.
Illa procul tellus ſummis caput inſerat aſtris,
Et dignam ſe laude ferat, quæ nota Mineruæ
Mæonioque habitata ſeni, quem Graia ſtupeſcit
Terra virum, ſtudiiſque petunt communibus vrbes,
Hæc dignam ſe Vate putet, vocet illa parentem,
Et ciuem vocet illa ſuum; vincique repugnans
Doctrinæ luctetur honos, ſi vindicet illum
Orbis, & auguſti præconia poſcat alumni.
Exere tu potiùs lætos Antuerpia vultus,
Exere, Phœbeo meliùs gaudebis alumno,
Qui veſtram non preſſit humum, cùm in luminis oras
Prodiit exoriens, ſed cùm maturior ætas
Creſceret, & firmum robuſto in pectore robur,
Caniciéſque animi; ſeſéque, ignara latendi,
Proderet in vultu pietas; tum culmine rerum
Fulſit, & Aduaticæ ſumpſit ſibi iura tiaræ.
Tum veluti quoties grato Pallantias igne
Fulget, & effuſis ludit per cærula flammis

Vix

Vix matura dies, veſtitur lumine mundus,
Et triſtes tenebræ noctiſque recedit imago:
Sic tua cùm SONNI *natiuâ luce refulgens*
Aduatico illuxit probitas radiantior orbi,
Lurida mox læto ceſſerunt nubila Phœbo
Lætitiæ non paſſa iubar, mox dulcia rurſus
Gaudia, gauiſaque vrbis noua fulſit imago.

SONNII gratulationibus finem imponit Dingemannus Ianſſens Boy, Ziriczæus, vltimumque hoc ei acclamat Acroäma.

O Decus æthereum, Belgarum gloria, SONNI,
Te tua Silua-ducis florenti germine natum
Procreat, & rutilis Solem profundit ab oris,
Et nutrix Aurora tibi. pro pignore tanto
Certatur, geminæ ciuem te vindicat vrbis
Diſſidium; ſibi te tua patria Silua tenaci
Obſtrictum retinet mitrâ, ſimul inde reclamat,
Maiorémque tibi vittâ meliore tiaram
Anuerſa oſtentat patriis opulentior oris.
Cede precor, mœſta languentia deſine vota
Torquere; Anuerſam roſeis complexus habenis,
Purpureamque vehens lucem, radiante comarum
Fulgore, Aduatici tenebroſa ſilentia vulgi
Diſcute: luctiferis cernas quàm flebile venis
Vulnus hiat, quantaque patet via lubrica plagæ;
Et NIGRII *exequias nigrantibus horrida vittis*
Ducit, humi fuſa, & lucem auerſatur iniquam:
Nunc triſtis, pariterque ſinus & pectora rumpit,
Humentéſque premit vultus, ac oſcula lambit
Dura ſoli. miſerere tuæ, miſerere vocantis

Anuerſa, tibi mœſta comas, tibi ſoluit amictus.
O luctum compeſce; potes namque vnus acerbos
Demere ploranti gemitus, vnuſque mederi.
Non aliter, SONNI, *luxit periuria Theſeus*
Littore, qui nigris deluſerat Ægea velis.
Crede mihi, non ſic functi lacrymoſa mariti
Alcyone fatum gemit, & Philomela penates
Circuit amplectens, animámque in pignora transfert.
Seſe Anuerſa tuis, FRANCISCE, *amplexibus offert,*
Te rogat, O venias precor, hanc tibi delige ſedem:
Sic tua defeſſa luctu ſolatia plebi
Mitra dabit, Titánque tuis noua gaudia mœſtis.

VIDETVR gradibus quibuſdam creuiſſe Antuerpiana Felicitas; planè vt prioris fortunæ calamitas, maioribus beneficiis compenſaretur. Extincto primùm NIGRIO, ſucceſſit FRANCISCVS SONNIVS, vir eruditione ac prudentiâ omnino ſingularis; quem cùm ſexennio tantùm habuiſſet Antuerpia, quaſi ad maiora concitato curſu feſtinaſſet, LAEVINVM TORRENTIVM, virum longè maximum, in eius locum adoptauit.

Fuit is patriâ Gandauenſis, Patricio genere oriundus; nec paucos in florentiſſimâ olim familiâ Conſules cenſet. Afflixit tamen opes eius Fortuna, fortaſſis vt poſtmodum maioribus eum dignitatibus cumularet.

laret. & verò ita eueniſſe videtur, cùm per honorum omnium gradus ad ſumma quæque aſpirauit. Poëta fuit, non ſuo tantùm æuo, ſed multis retrò ſæculis admirandus. Quam in laudem ſi licet liberiùs euagari, dicemus audacter & verè, non eſſe quem Orbis TORRENTIO noſtro poſt Flaccum adducat parem. Gaudeat, imò triumphet Belgica, tanto ſuo vate, ſacri Heliconis ſacerdote. Audeat aliquando Flandria, non dico cõponere, ſed præponere lyram ſuam, Italicę, Germanicę, Batauicę chely. Audeat argumento prouocare Zanaſarios & Vidas, audeat genio & ſtylo. Verba hæc non ſunt inanitatis fumo veſtita aut fuco, quæ vltra verum progreſſa, ſolâ fulciantur iactatione. Qui inuidet laudi tam auguſtæ, rodat & dentem figat in ſolido. Dabimus ex ipſo TORRENTIO tantæ eruditionis ſpecimen, earumque laudum non indignos conatus. Audiat omnis retrò antiquitas, & ſi non ſæculum ſuum, ſuam tamen admiretur dictionem. Ita luſit alibi TORRENTIVS libro primo Virginei partus; & inter centenos flores quos ſparſit, en tibi has roſas:

Et iam nitentem circumagens globum
Ter noctilucis Cynthia cornibus
Luſtrarat orbem, ter reductis

 Nubi-

Nubila miſcuerat tenebris.

Quàm terſa omnia, quàm ſuccincta, quàm plena tamen! Iam Horatianæ æmulationis quot paſſim veſtigia? Sic illud de Baptiſtâ:

Vox in remotis horrida rupibus.

cui ſi Flaccum apponis, videbis ſimilitudinem:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi. ———

Hoc etiam libro de Virginis partu, ſecũdo:

——— *nec putat*
Fas eſſe ſermones deorum, &
Facta leui memorare plectro.

vix aliter quàm Horatius:

Referre ſermones deorum, &
Magna modis tenuare paruis.

Iſtud magnificum ſimul eſt, & imitatione acceptum:

Auriq; contingat nitore
Regna, truci temerata ferro.

E tertio libro, quid dici poteſt auguſtius? quid melius?

Aut ſtructa menſis fercula citreis
Fulgore laſſam ſollicitant famem,
Aut Chia gemmato retuſam
Vina ſitim exacuunt in auro.

Libet profectò huic acclamare; Benè, bellè, feliciter, optimè! nec vmquam Chœrilus

ita iure meruit ob Alexandri laudes

—— *Regale numiſma Philippos,*

quã hi verſus Poëtæ ſuo ſtatuã & coronam.

Placuit ergo, collectis per Satyram ſentẽtiis, LÆVINO TORRENTIO Lyricorum poſt FLACCVM Principi, Virginei partus ſacro præconi, ſecundam hederam decerni.

QVid Clio querulo ſoluta luctu
Deponis citharam, grauíque vultu
Pendentis fugis vnguLæ liquorem?
An vatis cineres geris biformis
Sepultos animo, rogúſque bullit
Pindari gemitus mouens ſeueros?
Cedat luctus atrox, geniſque manent
Gaudentes lacrymæ, repulſa mentis
Hiems funereum exuat dolorem;
Adhuc Pindaricæ chelys Camœnæ
Superſtes reſonat, ciniſque buſti
Pullulat vetus Ælij poëta:
L ÆVINVS *rapido incitatus œſtro,*
Rurſus Aonias lyras tetendit.
Vix ventris repulit moras recluſi,
Primo murmure dulcè vagientem
Docto Calliope ſinu recepit:
Cibos Pierio liquore coxit,
Deditque Æolios bibiſſe fontes.
Dixit, O placidis ſacrate Muſis,
Longæuos citò tranſiture vates,
Non tu culmina, nec domos ferarum,
Non plectro Odryſias mouebis ornos;
Tuis Virgineus renatus ardor

 Pubeſcet

Pubeſcet fidibus, leuique chordâ
Chriſti purpureos trahes triumphos.
Sic fata, Aonio excitata vultu
Illi Pierias fides reliquit.
Quid vltrà lacrymas alis ſeueras,
Et vatem toties gemis biformem?
Frontis laurigeras retexe vittas,
Et leges capitis comaque nexus
Perfundant edera recentiores;
Adhuc Pindarica chelys Camœnæ
Superſtes reſonat, ciniſque buſti
Pullulat vetus Ælij poëta.

Melchior vander Waterfort.

Vt olim Muſæ Auguſto familiarem fecerunt Horatium; ita TORRENTIVM Sapientia & Eruditio Antiſtiti à Bergis, Grouſbequio Cardinali, Erneſto Bauaro, Leodicenſium Principibus, cõiunxerunt. Ab illis Brabantiæ Archidiaconatu inſignitus, Romam ablegatur ad PIVM V. Pontificem Maximum, de rebus Leodicenſis Cleri cauſam peracturus. Id canit Conrardus Tucherus Antuerpienſis.

PErge inſtitutas dicere adoreas
Et magna magni nomina PRÆSVLIS,
Nondumque vulgatos honores
Muſa graui memorare plectro.
Romam euocatur, conſilij comes
In purpurato conſidet ordine:

O quàm

O quàm ſagacis tunc micantes
Ingenij emicuêre ſoles!
Magni ſtupebat conſilium viri
Cum purpuratis Roma clientibus,
Ex ore pendebat loquentis
Italici podium theatri.
Non te mouebant munera, non Deus
Adulterabat verſus in aureos
Quondam liquores, at recluſas
Ante fores vigil excubabas.
Non extimebas, dicere, veritas
Quod conſulebat te reſidens iugis
Gaudens recepit, & gementi
Roma foro patriæ remiſit,
Strauit benignum Tibris iter rati,
Magniq́ue labens ſub pedibus viri
Nauem ferebat: illa, velox
Per placidas equitabat vndas.

A Grouſbequio Eburonum Principe iterùm Legatus ad GREGORIVM XIII. Pontificem Maximum amandatur.

LÆVINO TORRENTIO iterùm Romam ablegato

Theodorus Middelton accinebat.

QVâ celebrē tua facta chely? quas reddere laudes
Sufficiam? inferior vox omnis & omnia ſordēt
Verba, quibus meritos depromere poſſet honores
Gratus amor: non ſi pariter mihi vertice lato

Iungat Palladias & Smyrna & Mantua lauros,
Factis digna canam. videor ſpectare loquentem
Iungentémque manus, pedibúſque optata ferentem
Baſia, & auguſtam cupidum contingere dextram.
Téne igitur viduata ſuo te Præſule miſit
Belgica? vt Auſoniæ Patres, vt ſacra videres,
Limina, Tarpeio non conceſſura tonanti?
Sic ergo dedit illa tibi, dedit ora tueri
Quæ cælum quæ terra colit; dedit illa tueri
Lumina, quæ totum luſtrant Phœbo æmula mundum
Excubiis intenta ſuis: tu verba loquentis
Dignus, & alternas audire & reddere voces:
Permiſſum ſpectare tibi decora illa Quiritum,
Et ſacros proceres, quales non Romula vidit
Curia, cùm rigidos veſtiuit purpura patres,
Et ſua patriciâ clauſit veſtigia lunâ
Ordinis ambitioſus honos, ſeriéſque parentum
Patriciis cognata viris, patrúmque refulſit
Splendor, & attonitæ ſupplex reuerentia Romæ
Purpureos mirata ſenes; nec cernere tantùm,
Sed coràm ſediſſe datum, ſed iungere voces
Conceſſum, & dubiæ penetralia pandere mentis,
Ac ſenſus nudare ſuos. Quid cetera narrem,
Vix noſtrâ narranda chely? te Dardana tellus,
Et ſeptemgemino ſtupuit circumdata muro
Roma, nec ignotæ potuit miracula formæ,
Externúmque putare decus: ſic gratior oris
Splendor, & in vultu grauitas præcone reluxit,
Ingentes confeſſa animos, virtúſque per omnem
Diſpenſata virum, maieſtáſque inclyta fulſit.

Ita ſummo Pontifici GREGORIO XIII. placuit ob ſingularem prudentiam TOR-

REN-

RENTIVS, vt aureâ claue donatum Cubiculo ſuo prẹfecerit. Dignitas ea eſt quẹ rarò, præterquam Cardinalibus, vlli ſolet euenire. Placuit eam ita celebrare.

LÆVINO TORRENTIO aureâ PONTIFICII cubiculi claue donato.

EXoſus tenebras indignatúſque latere
Jndiciis monſtratur honos, & gaudet apertâ
Luce frui, neſcitque tegi, ſigníſque relucet
Maieſtas contenta ſuis. ſic Romula quondam
Curia, patricij aſpexit ſacraria cœtus
Auguſtos confeſſa viros, trabeatáque vidit
Agmina, regalis patres cùm purpura quondam
Præcinxit, Tyrióque ſinus circumdedit oſtro.
Annua ſic lecto ſignari tempora vidit
Conſule, vibratáſque procul radiare ſecures,
Roſtráque & Auguſtum Latij penetrale ſenatus
Scandentem, (trepidum tùm circà vulgus) & alto
Dictantem ſua iura foro: ſic tempora cingens
Infula, vittato quondam quæ vertice fulſit,
Pontifices myſtáſque probat, ſacratáque tantùm
Agmina, quos ſacri penes eſt reuerentia iuris.
Non aliter LÆVINE *tuo decreta labori*
Maieſtas ſignata nitet, non infula crines
Jmplicat, aut ſeſe (ſacros teſtatus honores)
Attollit vittatus apex, Tyrióque tumeſcens
Murice dat vanos ventoſa ſuperbia faſtus.
Longè alia eſt fortuna tibi, meliuſque refulget

Virtuti cognatus honos; micat aurea clauis
Heredem mirata ſuum, beat illa tenentem,
Quæ ſacrā donata manu, magníque cubile
Præſulis, auguſtóſque aperit veneranda penates.
Tu tantæ tutela domus, tibi ſacra pateſcunt
Atria, tu certas gaudes imponere leges:
Arbitrio ſtant illa tuo, modò limina nulli
Clauſa patent, aditúmque negant, reſeratáque rurſus
Intrantem excipiunt. Nil tecta auguſta frequentat,
Quin oculo cenſore notes, arcenda repellens,
Admittenda probans. Quin & penetralia rerum
Noſcere, quin vigiles dignus coniungere ſenſus,
Cogeris in ſummis ſuffragia dicere rebus.

Theodorus Middelton.

LÆVINO TORRENTIO,
PONTIFICI
à cubiculis adlecto.

QVis mihi flammato trepidantia lumina ſole
Splēdidus obtūdit Phaëton? quis fulgor Iberus,
Perculſos hebetans oculos, rutilante metallo
Arcanos ſpargit radios? an marmore picto
Ignea Mygdonios deſcribunt atria gyros
Ingenio confuſa ſuo? luxq́ue hoſpita gemmas
Comit? captiuaſq́ue incendit Iberia venas?
Se lux ipſa ſtupet, miratur conſcius ignis
Inſolitos auri radios: aliena ſalutat
Lumina, & inſueto gaudet radiare nitore.
Sacratas cognoſco faces: maiore renides
TORRENTI *radio, te lucens flamma metalli*

Ambit,

Ambit, & aurato complectitur igne poteſtas:
Magnanimis ſplendes trabeis, & murice grato
Oebalis Aſſyrias incendit purpura pallas;
Aurea præfulget clauis, dextraque micantis
Maieſtas auguſta nitet. Superata vetuſtas
Erubeat, ſceptrumque manu pallente remittat
Ianus, & illuſtres miretur clauis honores.
Nobilitas te celſa colit, patrumque curules
Supremis celebrant titulis: tibi culmina magni
Pontificis, ſacrique patent penetralia regni
Atque adyti ſecretus honos, promptumque penates
Arcanos reſerat limen: tibi credita tecti
Paret relligio. nec ſi diademata Regum
Victriceſque Aquila Romana cacumina pulſent;
Te ſine Cæſaribus penetralia tanta reſoluat
Ædis, & occultos pandat domus ampla receſſus.
Scilicet incorrupta fides ſublime gubernat
Imperium mentis: neſcit ſuccumbere fraudi,
Laruatiſque doli fucis, diadema verendum
Inuicta fidei. Phalaris reboante metallo
Pectoris exploret vires; pomœria cordis
Tentet atrox Scyron; funeſto carcere Sulla
Oppugnet faſces animi; poſt buſta ſuperſtes
Durabit celſa mentis rigor: ardua ſtabit
Vis animi, & nullo nutans conſtantia caſu.

Hermannus Spruyt Antuerp.

Proprio cruori innatabat infelix Belgica; & quaſi à Bello traxiſſet nomen, numquam tranquilla ſtabat, ciuilibus ſemper lacerata tumultibus. Aderat cum exercitu ingenti Ioan-

Ioannes Auſtriacus; inde confœderata Belgicæ ſtabant capita, cùm veluti ad ſalutem natus Belgarum TORRENTIVS, adulta iam odia vtrimque mitigauit. quare

LÆVINO
Bellorum ciuilium Auerrunco
ſex laureas conſecramus.

QVis conſanguineo nigrantia ſtagna cruore
Belgiadûm, tepido quis pingues ſanguine cãpos
Neſcit, & alternis exhauſtas mortibus vrbes?
Exitium cùm mœſta timens, & feſſa cruentis
Stragibus, ad celſas LÆVINI *Belgica ſedes*
Tenderet, infauſtis iam conſultura ruinis;
Non ſolito vultu, fuluo nec blandior auro,
Frontem triſtè rigens, ſparſoſque inculta capillos,
Et ſtantes laniata ſinus: ſedet intus abactis
Squalida lux oculis; mœſtis vix ægra lacertis
Eroſum geſtat clypeum: rubigine tela
Squallent, & nigris deſunt mucronibus iræ:
Mox ſingultatas effundens pectore voces,
Ructabat miſero tales de corde querelas:
Cernis vt aßiduo Martis lacerata furore,
TORRENTI, *in diuerſa ferar: velut alnus in vndis,*
Quam fera tempeſtas, laxiſque emiſſa cauernis
Hippotadæ furibunda cohors, & fulmina torquent,
Fluctuat, immenſum tandem potura profundum.
Nec tamen, heu, noſtris externum aſcribimus hoſtem
Vulneribus; proprio lacerantur pectora ferro,
Perſi-

Perfidaque in miſeram conſurgunt viſcera matrem.
Non ſecùs ac rabidis diſcordi in pectore membris,
Et capiti tergum, manibuſque aduerſa repugnent
Brachia, & in trepidum coniurent lumina pectus,
Diſsideant ori nares & naribus aluus,
Decertent genibuſque pedes & pectora dorſo.
Aſpice terrificis iaceant quot mœnia flammis,
Aſpice quas Scaldis cades, quæ funera voluat,
Aſsiduo gladiis nigroque adopertus aceruo:
Hic ſciſſi rapidis miſcentur fluctibus artus,
Oráque & abrupta ſociantur pectore dextra.
Ipſe coloratis Nereus excuſſus ab antris
Mutatis horreſcit aquis, cumulóque cadentûm
Staret, ni tumidus ſtimularet corpora ſanguis.
Aſpice quàm ſæuo flagret Anuerſa tumultu:
Hic iuuat, heu, matrum plenis adſtringere natos
Vberibus, gladióque omnes iuuat ire per annos.
Teucria nec tanto feruebant mœnia motu,
Cùm quondam æratos ſopita in Pergama fœtus
Ferreus effudit ſonipes, atque abdita coſtis
Græcia ferratis erupit perfida membris.
Cetera quid memorem? centena volumina noſtras
Vix capiant clades. viden, vt mare, terra minetur?
Vt tumidos in caſtra mouet metuendus Iberos
Auſtriacus? mœſtis vt diruat omnia flammis?
Quem precer, aut quid agam? quò pallida lumina vertam?
In te iam ſpes vna manet; ſuccurre ruenti,
Eripe me tandem, feralibus eripe bellis,
Ne natis ſim præda meis: ne pectore fœto
Vt ſerpens fecunda cadam; ne viſcera noto
Rimentur ferro, ne me meus occupet enſis.
Tu rabidos inflecte Duces, ac pace ſequeſtrâ

Com-

Comprime ferales tandem LÆVINE *tumultus;*
Comprime,& exſtinctis ſana mea pectora bellis.
Iret adhuc in verba dolor,ni maximus alto
LÆVINVS *tales prompſiſſet pectore voces:*
Surge precor veneranda parens,humilemque ruina
Pone metum; namque Auſtriaci furibunda tenebo
Corda ducis,flectámque minas & noxia belli
Funera,& admotâ ſanabo vulnera dextrâ.
Dixit,& ad celſas magni ſe contulit ædes
Auſtriaci: patrios gemitus, ſævóſque tumultus
Aſperat, & tanti pandit incendia belli,
Hortatúrque ferum ſub fœdera cogere Martem,
Et patriam,reditúſque monet, nec iudicat æquum
Et populum & Reges tantis abſumere bellis.
Auſtriaco vox grata duci, Martiſque remiſſus
Dignatur conſulta furor: firmatáque belli
Fœdera mactata conſtringunt ſanguine porcæ.
Sic rigidi fera corda ducis rabiémque Gradiui
Edomuit,veluti qui formidanda ferarum
Pectora conſtringit,merſaſque in ſanguine cogit
Reddere ab ore manus, trunciſq. immergere plantas
Denegat, & victi terga abſorbere iuuenci.

Gaſpar Geuartius.

LÆVINO TORRENTIO PACIS cum IOANNE AVTRSIACO initæ Perſuaſori.

QVas grates LÆVINE *tibi,quæ debita reddam*
Præmia? quæ merces valeat pro talibus auſis,

Pro

Pro tot ſeruatis quænam tibi ciuica reddi
Vrbibus? aut qualis penſabit laurea dextram?
Non tibi ſe ciuis vitam debere fatetur;
Belgica ſed leti raptas de faucibus vrbes,
Excuſſoſque graues timidis ceruicibus enſes;
Clauſaque belligeri debet tibi limina Iani,
Impoſitumque odijs finem, ſecuraque pacis
Gaudia, ſopitas Martis medicantia plagas.
Antè cruentato gradiens diſcordia ferro,
Strinxerat infeſtos iugulis ciuilibus enſes
In clades armata ſuas, proprioque rubebat
Sanguine, & in patria vertebat viſcera ferrum,
Diſcordes acies indignanteſque teneri
Sollicitans in bella viros, nimiumque cruoris
Inflammata ſitis infectum lambere ferrum
Gaudebat, cupidoque furor dabat arma furori:
Vndique tot mortes vix explicitura gemebant
Flumina, & vndantes ciuili ſanguine campi.
Triſtis vbique dolor ſpectanti, triſtis vbique
Martis erat facies, & plurima mortis imago.
Non vmquam Simois ſic caſtra natantia vidit
Sanguine, & Iliacis fumantia flumina fatis.
Non ſic irrubuit Cadmæo ſanguine Dirce,
Siccataſque Tethys conſuetum ſtringere terras
Cæſorum ſtupuit venientem Iſmenon aceruo.
Amphitheatralis non ſic ſpectacula circi
Triſtia, cum verſam vidit gladiator arenam
Ardenteſque in bella manus, alternaque ferro
Iurantes in fata viros. non talia Cadmus
Prælia Agenoreis condens certamina ſulcis
Aſpexit, clypeata ſeges cum ſemine iacto
Vix dum nata ſuas in funera miſcuit iras,
Cognatum ſtringens in mutua vulnera ferrum.

Pax

Pax noua mox vrbes populis agróſque colonis
Reddidit, & Martis gaudens poſuiſſe tumultus,
Tot bellis laceras voluit iuueneſcere terras,
Otia dum Belgis optataque gaudia reddit
LÆVINVS, *grata componens fœdera pacis;*
Auſtriacique animos iratáque pectora flectit,
Diſtrictáſque in bella minas, ac tela lacertis
Excutit, & nudo leges imponere ferro
Non timet, & condi minitantes imperat enſes.

Ægidius Tenier Bruxellenſis.

LÆVINO TORRENTIO ob compoſitam BELGARVM cum AVSTRIACO PACEM Gratulatio.

EXulcerati qualiter æquoris
Dorſum flagellis Æoliis quatit
Montis propago turbulenti
Et tumidas agitat procellas;
Si vorticoſis cærulus arbiter
Vectus quadrigis per liquidas vias
Occurrat Euro, fluctuantis
Pax oritur rediuiua regni:
Heu præliantes Odryſij minas
Senſit Gradiui Belgica, Belgica
Tot cladibus tumultibúſque

Nobi-

Nobilis! ô pretium decori
Immane vultus! ſcilicet omnibus
Virtute, formâ Belgica clarior,
Caſtriſque, gentibúſque, & oris,
Clarior ipſa ſuis ruinis.
Penè interemptam (credite poſteri)
Suiſque lapſam ſeditionibus
(Quâ ſtirpe propagata clades
In populum, patriámque fluxit)
Deleuit atro funere Belgicam
Externus hoſtis (prô pudor!) haud ſuâ
Virtute, at interno furore
Implicitam propriiſque damnis.
Donec cruentis obuia cladibus,
Et luctuoſis ſtragibus, inclyti
Sacrata maieſtas parentis
Flexit equos, equitúmque vultus.
Huic indecoro ſquallida Pax ſinu,
Et luctuoſo turbida lumine
Adſtare, conquerique mœſtis
Et ſolitis gemebunda leßis:
Sempérne turbis ſollicitantibus,
Sempérne triſti concutiar ſalo
LÆVINE? *ſic numquam reuiſet*
Pax patrias rediuiua terras?
Nond[illegible]ne fuſo ſanguine lubricam,
Suo in[illegible]antem ſanguine Belgicam
Merſere ſat graues furores,
Et rapidi fera iura diui?
Non ſemper æther nubibus hiſpidus
Pictuſque formis verſicoloribus
Prædicit imbres, & ſubactis
Diluuiem minitatur agris:

Me ſemper atris turbinibus vagam
Dux bellicoſi Strymonis excutit,
Et Belgico lætata caſu
Vnda fretis quatit æſtuoſis.
Heu! mœſta mœſtæ vulnera patriæ
Deuota tantis Belgica cladibus,
Numquámne ſolari tot æſtus,
Tot veteres dabitur ruinas?
Tu tu fugatam, tu lacrymabilem
Referre pacem, tu potes, ô mei
LÆVINE *ſolamen doloris,*
Belligerum religare Ianum.
In te recumbit ſpes miſera Deæ,
In te labantis ſpes quoque Belgicæ.
Iò triumphe, quando lato
Belgica percipiet theatro?
Interque mortes littore Flandrico
Latè euagantes, & ſua funera
Martis videbit interempti
Colla ſuis ſuperata telis?
Non eiulatus, non lacrymas tulit,
Non exulantis vlcera virginis;
Sed triſtibus motus querelis
Iam ſat, ait, ſatis, ô nefandè
Datum Gradiuo. cedite, cedite
Quicumque ciues vel comites ducis
Tumultuoſi; ſtat ſerenam
Belgiadum reuocare lucem.
Ceſſere belli fulmina lugubris
Vix dum iubenti, ceſſit & impotens
Rapina, Bellonæq; flagra,
Sarmaticas aditura terras.
Pacem reducit mentibus anxiis,

Pacem

Pacem benigno numine Belgicæ
*L*ÆVINVS, *optatiq́ue nexus*
Fœderis, & reducem quietem.

Iacobus de Cater.

LÆVINO TORRENTIO
BELGICÆ PACIS
AVCTORI
Quercus Ciuica.

ARua cruentatis ſtagnabant triſtia riuis
Funere plena ſuo, Martiſque vndantia fatis
Horrida ſanguineo ſudabant rura colono:
Vndarum dominæ peregrinum Naiades amnem
Et turpes timuere ſinus; laqueatáque lymphis
Atria, funereâ Scaldis ſquallere tabernâ
Horrebat, triſteſq́ue humanis cladibus vndas:
Exciderasq́ue tibi vix notis nota colonis
Belgica, nec priſcis libabas perfida Diuis:
Viſceribus nutrita tuis, animíque fauillis
Hæreſis, immani torquebat corda duello,
Per fibras graſſante malo; Belgiáque ruinis
Lactabat Furias, animorum paſta ſepulchris:
Auſtriacus patrij generoſo milite Batis
Brabantûm ſternebat agros: torquebat Iberus
Spicula, ſanguineis Belgarum animanda ruinis,
Aduerſaſq́ue vrbes bigâ victrice terebat:
Non ſecùs ac præceps furibundo vertice torrens,
Cùm ſæuit latè, atque hiberno flumine turget,
Proruit vndantes inſanis fluctibus agros,

Captiuáſque trahit ripas, campoſque pererrat
Gurgite, & infeſtis expugnat rura procellis.
Exeris optatum TORRENTI *mitior aſtris*
Sidus, & erranti fulges Cynoſura carinæ:
Auſtriacique animos, flammatáque pectora Iberûm
Demulces, reſidique iubes languere furore:
Qualiter immani vt vidit diſcordia bello
Viſcera, cognatiſque parens feruere ruinis
Fraternas aquilas, laniatos ſparſa capillos
Proſilit, alternóque obiectat pectora ferro.
Arbitrio Bellona tuo, Zephyróque loquelæ
Flectitur; imperiúmque ſubit Mauortia virtus:
Ira premit rictus, indignaríque videtur
Ipſa ſibi, gladios dum pugnax verbere lingua
Obtundit, rabidóſq expugnat voce furores:
Hæreſis exſangues lacerato corpore fibras
Debellata trahit, propriique auriga ſepulchri
Funere vitali moritur, dum mœſta querelas
Fundit, & æterno morti mœrore parentat.
Lætior at ſeſe ſpargit per mortua Belgî
Membra vigor, victúſque fugit præcordia mœror:
Effractos reparat Pietas illuſtrior artus,
Annorum ſoluens glaciem: collapſáque diuûm
Atria, contemptis ſurgunt maiora fauillis.
Eloquio, LAEVINE, *tuo, damnaſſet habenas*
Cæſar, & infectas cognatâ cæde nouales;
Nec conſanguineo torrentes funere campos
Attonito calcaſſet equo, conſorſque poteſtas
Dulcia fraterno iunxiſſet fœdera nexu.

Hieronymus van Seurck, Antuerp.

LÆVI-

LÆVINO TORRENTIO
FOEDERIS
inter Auſtriacum & BELGAS
Fæciali.

Belgica ſanguineis fortunæ impulſa procellis
Nutabat: Mars inde fero languentia ferro
Viſcera ſcrutari: belli ciuilis imago
Parte aliâ diro aſpectu iugulare colonos.
Non aliter, rutilâ virgo Tritonia fertur
Gorgone terrigenas proculcauiſſe rebelles,
Aſpectu metuenda ſuo, molleſq; lacertos
Exangui duraſſe gelu. fecunda Charybdis
Vndique ſurgebat leti; cùm optata reluxit
Iactata Cynoſura rati LÆVINVS: *at illa*
Aſpectu gauiſa viri, iam credit in vno
Pœnarum vidiſſe modum ſpeculúmque ſalutis.
Ergo vbi ſemianimes artus moribunda leuârat,
Dura nouercalis depromere crimina ſortis
Geſtit, & Aduaticæ lugubria funera gentis;
Sed dolor exanimi ducens ſuſpiria corde,
Vix tandem has tremulâ profudit voce querelas:
Quò feror infelix hei Belgica? quando feroces
Euaſiſſe acies dabitur? ſpoliata fatigor
Hoſtiles inter cumulos ceu præda latronum.
LÆVINE, *ô noſtris ſpes ſera atque vnica rebus!*
Funera funeribus cernis cumulata meorum,
Quos hinc dura lues, illinc feralia Martis
Spicula ſtrauerunt? cernis fluitantia lymphis
Corpora, ſanguineiſque refuſa noualibus oſſa?

Stare cadaueribus vidit vada languida Scaldis,
Purpureo voluens lacrymandas flumine cædes.
Ipſa ruo propriis in triſtia funera telis,
Demerguntque caput fumantia ſtagna cruore.
Nulla domus ſupereſt tragico non anxia caſu,
Nulla domus quæ non ſæuo vexata Gradiuo
Sæpiùs admixto ducat ſua pocula fletu;
Et rebus diffiſa ſuis, vitamque peroſa,
Vltima ab exanimis ducat ſuſpiria fibris.
Viuum funus eo, mediâ vix parte ſuperſtes.
Hæ moueant lacrymæ, moueant LÆVINE *dolenda*
Vulnera, purpureiſque rubentia viſcera ſulcis.
Da dextrâ rediuiua tuâ præcordia ſumam,
Mœſtaque quæ luget facies noua gaudia ſpiret:
Ceu flos hoſtili moriens iugulatus ab imbre,
Natiuum repetit Phœbo radiante vigorem.
Dixerat, & magno vocem rupit lamento.
Intereà has patriæ LÆVINVS *corde querelas*
Voluebat; dubiuſque, vt ab omni parte viator
Contemplatus iter, quà ſit ſibi neſcit eundum:
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Curarum. quî ferret opem? Martémne foueret
Alarum auxilio? nimiis heu cladibus æger
Belga timet lituos: ſupereſt ſopire cruorem,
Si neget afflictam bello reparare ſalutem.
Ergo abit, & docto linguæ torrente, furoris
Armati ſedat rabiem, Patriæque labantis
Ancipites firmat nutanti culmine lapſus.
Auſtriacam ſubitò complexa eſt Belgica dextram,
Ictaque non fragili coiërunt fœdera nexu.
Quas grates Brabante feres? quæ præmia tantis
Conſiliis? tantis dabitur quæ laurea factis?
Quòd vigeant leges, huic te debere fatendum eſt,
Bel-

Belgica; quòd placidos furioſa licentia frenos
Iuſſa pati, & laceri iuueneſcant viſcera regni.
Æternis magnos auſus inſcribere faſtis
Fas fuerit, titulóque audaci ornare ſepulchrum:
Magne Pater *Patriæ* LÆVINE *hac conderis vrnâ.*

Adrianus Moens, Antuerp.

TORRENTIO
PACIS REDVCTORI
Oda triumphalis.

NEc magnus almæ pacis amor lyræ,
Aut comparatum diſplicet otium:
Intende carmen Muſa, pacis
Plectra ducem meliora cantent.
Anhela ſtabant agmina Belgicis
Inſtructa campis, hinc domus Auſtria
Ibericis vallata turmis,
Inde ciens fera bella Belga:
Vt ſæuus olim Teuto ſub Alpibus
Ridénſque ſemper Martis in horrido
Cimber tumultu, ſtabat inde
Romuleis Marius catervis:
Velútque quondam perfidus Hannibal
Bellóque fortis Scipio, pro focis
Aríſque certantes ſupremo
Marte, caput dominóſque terræ
Quos fata vellent; hinc Numidas trahens
Pœnus cateruas, robur at Italum
Dudum inde victrices cohortes
Scipio agens acuebat iras.

 Irru-

Irrupit inter denſa tumultibus
LÆVINVS *ardens agmina: quot mala,*
Quot funera & clades nefandas
Conſilio potiore vertit.
Anuerſa quondam tabida ſanguine,
Nunc pace parta clarior emicat;
Nec turbidus Scaldis cruentos
Ad pelagus fluuios remittit.
O magne Præſul! te ſine, Belgica
Excuſſa muris rudera volueret:
O quot rotaſſet Scalda ciues,
Cæde nouâ quoties ſletiſſet!
Seruata per te ſæpiùs oppida;
Seruata per te, quod magis eſt, Fides:
Lugubre mutaſti ſalubri
Sæpè ſagum gladioſque lauro.
Sæpè obſtitiſti ne imprimeret furor
Hoſtile aratrum funditus vrbibus,
Nec victor inſultaret ardens
Semirutis populi cateruis.
Vicêre partes te duce Belgicæ,
Vicêre partes te duce Ibericæ,
Vtræque duxerunt triumphum
Diſſidiis pariter ſubactis.
Motus reſedit te duce bellicus,
Ciuilis ardor te duce corruit:
Concurrere Anuerſam vetabas
Belligeri gladiis Iberi.
Illa illa Princeps ſcilicet, ô pudor!
Concurret armis Belgica Regiis?
O Belgica, ô Regina terræ,
Altior ipſa tuis triumphis!
Quid inquilinis, Belgica, quid iuuat

Certare

Certare bellis? vincere erit pudor,
Perire damnum: Turca iuſtos
Suppeditat tibi Belga motus.
Conrardus Tucherus, Antuerp.

Succeſſerat feliciter TORRENTIO adhuc priuato, fœdus inter Auſtriacum & Belgas compoſitum; niſi Partium inconſtantia pacem violaſſet. Voluit denuò eam LÆVINI induſtriam in malis ſuis experiri Belgica; ergo vt pacem inter Hiſpanos & Batauos ſanciat, Coloniam ablegatur; ſed irriti ecidêre conatus. Iuſſit tamen TORRENTIVS, Belgicæ Calamitatis à ſe ſcriptum extare monumentum: quod vtinam è chartei pulueris ſupellectili prodeat aliquando in lucem, precamur.

QValis nefandis aduena dentibus
Cùm ſæuit atris prælia paſcuis,
Iecitque germinans duellum
Et ſubita ſata dura pugnæ;
Excreuit altè Martigenis ſeges
Armata ariſtis, viuaque ſpiculis
Haſtiſque, miſcuit parentem
Prataque ſanguineo rubore:
Talis proterno cùm furor impetu
Laxatus orco eſt, belláque gentibus
Inuiſa, geſtiuitque Mauors
Fœdifragum reſerare Ianum;
Audax poteſtas & noua cladium

Emiſſa, terris incubuit cohors,
Sæuique tempeſtas Gradiui
Immeritas agitauit vrbes.
Senſere Martis fulmina lugubris,
Iraſque & enſes enſibus additos,
Cùm Battaui preſſere Iberos,
Cùm Batauos ſecuere Iberi.
Hæret trementes ante oculos feri
Imago belli, vulnera, vulnera,
Strageſque, velocéſque mortes,
Prælíaque & comites furores.
Pax nulla, nullus Iuſtitiæ rigor,
Fecunda culpæ ſæcula, ſanguinis
Aſperſa tellus fœda riuis,
Nec madidis animata gemmis.
Quis contumaces Odryſij minas,
Quis inſolentes ſupprimat impetus
Viréſque diui? quis ſequaces
Luce nouâ reſecet tenebras?
Omnis ſupremis fracta laboribus
Spes, firma nulli; lapſa fides retrò,
Et cuncta mentium ſubacta,
Præter atrocem animum parentis
Intaminati: quem neque Noricus
Deterret enſis, non Scinis efferi
Inflexa pinus, mox leuata
Aërias reditura ad auras.
Non hunc Perilli prodiga viſcerum
Moles, tenacem propoſiti virum,
De calle virtutis ſerena
Flecteret, aut ſolito rigore.
Quem, celſiorem pectoris indolem
Celſæque mentis robur, & inclytos

Mirata

Mirata mores, edomando
Regia conſtituit Gradiuo.
At nulla tanta ſufficit (heu dolor!)
Plaga cicatrix, crudior incitat
Libido mentes inquietas,
Et miſeras inimicat vrbes:
Sed concitatis quaſſa fragoribus,
Infracta virtus PRÆSIDIS *emicat;*
Mœſtaſque ſolari querelas
Et populi mala luctuoſi
Gaudens, beata proſpera Belgicæ,
Mox inſuetis ſeditionibus,
Suiſque labentem ruinis
Texuit hiſtoricâ papyro.

Iacobus de Cater.

TORRENTIO apud Colonienſes pro BELGICA Legato, alteri Iano Cluſiuio,

Battauicos forteſque inter crudelis Iberos
Miſcebat Bellona manus; Belgaque cruoris
Prodiga, cognato complerat milite campos.
Arma iterùm & ciuile nefas, lugubria rurſus
Prælia, nudatique odiis certantibus enſes;
Iurataque in fata manus, ſed vincere virtus
Exæquata nequit, cognataque funera ſecum
Penſat, & alternum diſcors bibit ira cruorem,
Alternis gauiſa malis: ſic inter vtroſque

Dum

Dum pendet, ſtricto ludens Victoria ferro,
Fata luunt fatis, dant mutua vulnera vulnus.
Arma tamen, fremit arma furor, vinciq́ue repugnans
Non hoſtem viciſſe poteſt: odia ægra remittunt
Se rurſus, iraq́ue inopes, & ſegnis Erynnis.
Iam rabies pertæſa ſui, vult pace ſequeſtrâ,
Prælia, vult ſtrictos deponere mitior enſes,
Et bellum geſſiſſe pudet, certoq́ue ſub ictu
Stare negat. verùm ruptis quis flebile venis
Vulnus, & accenſos poſſet ſopire furores?
Quiſnam auidas cohibere manus auderet? & armis
Arma, pares gladios, & tela minantia telis
Excutiens, nudo leges imponeret enſi?
Inflammata ſemel neſcit manſueſcere virtus,
Ardenteſq́ue in bella manus. tamen arma rebellis
Battauia & ſæuum tentare in fœdera Regem,
Commiſſum LÆVINE *tibi: tibi credita ſoli*
Pacis cura fuit: ſed fruſtrà obſtruxerat aures
Principis, & nimiùm præceps furor omne trahebat
Pacis opus peiore viâ, fruſtráque parabat
Creſcere Belgiadum plagas tectura cicatrix.
Quid faciat? lugere vetat ſibi conſcia virtus.
Hæret in ambiguo, vellet componere fœdus;
Ira minas poſuiſſe negat: feruentia vellet
Pectora, & obnixum flexiſſe in fœdera Regem;
Ira negat flecti, pietas incerta repugnat,
Et pacis luctatur amor, ſe credit inertem
Quòd non Belligeri compeſcere limina Iani
Non gladios poſſit, ſtrictumq́ue recondere ferrum.
Fata dolet, Martiſque nefas in pectore verſat
Diſcedens; altumq́ue premens ſub corde dolorem,
Alternas Batauûm clades, lacrymoſáque belli
Funera, nec medicis plangit coëuntia ſuccis

Vulnera,

Vulnera, & æternis mandat certamina ceris:
Vt planctus LÆVINE *tuos, vt cera dolores*
Exprimeret, Domini ſemper lacrymantis imago.

Theodorus Middelton.

LÆVINO TORRENTIO PACIS componendæ cauſâ Coloniam ablegato.

IAm *ferus imbriferi Mauors de montibus Æmi*
Odryſios ſtimulabat equos, mortémque, ruinamq́;
In Belgas Batauóſque vehens: comitatus eunti
Inſidiæ, & præceps, cum cædibus, impetus, atris,
Et furor, & geminum torquens diſcordia ferrum.
Iámque pererratis infelix Belgica campis
L Æ V I N I *clamabat opem; quem vallibus imis*
Leniter arguto ſerpentes murmure riui;
Quem cum ſupplicibus poſcebant mœnia muris,
Qui dubios Patriæ caſus & lapſa ſubiret
Pondera, & admotâ ſanaret vulnera dextrâ:
Per quem ſacrilegos ſôpirent bella tumultus,
Per quem Pontificum tranſcenderet æthera nomen,
Et rediuiua nouo fulgeret Belgica vultu.
Nec mora, quin patriis alacer conſurgit ab oris
L Æ V I N V S, *regnique pio ſuccenſus amore*
Protinus ad rigidi properabat fœdera belli.
Non illum imbrifero pallens Autumnus hiatu
Nec fera nimboſæ tardarunt frigora brumæ;
Non hiemes ventóſque timet, non limina rerum
Nec tantum detrectat onus: ſed fortia tantas
Voluere corda vices, ſuccinctáque pectora curis,

Et

Et patiens animus, per tanta negotia, liber
Emergit, ſimiliſque ſui; metuendáque ſuadet
Prælia, & exhauſtum cogendum in fœdera Martem.
Caſſa ſed Æolus committit verba procellis,
Obiectátque Notho: citiùs Buſiridos aras,
Threicijque pecus ſtabuli, Siculique licebit
Flectere corda Dei: citiùs hunc tygris abacto
Pignore, Maſſylique velint audire leones.
Non valet exſerto leges imponere ferro
L ÆVINVS; *neſcit rigidus miteſcere crudi*
Martis amor, ſiccóſque enſes vagina recuſat.

Gaſpar Geuartius.

TORRENTIO
PACIS cum Ibero & Hollando componendæ ſtudioſo apud Colonienſes.

HOrrida ſanguineis ſquallebas Belgica campis,
In tumulum officioſa tuum, mœſtaſque ruinas;
Ipſa tibi funus, propriiſque onerata ſepulchris,
Mœrebas: cognato, in ſe furibunda, cruore
Viſcera, & alternis gaudebant caſtra ruinis.
O quoties triſtis perculſo gurgite Batis
Mirabare tuo deſertas milite ripas,
Dum veſtros tereret funeſta Batauia ciues,
Hiſpaniſque feri ſquallerent oſſibus agri?
Inuidiæ nutrix liuor, diſcorſque Megæra
Sæuit, & ardentes ſtimulis furialibus iræ.
Nec conſanguineo ſatiatur funere Mauors;
At noua bella petens, numquam placabilis ardet
Cædibus, æterniſque odiis Bellona triumphat.

Vindi-

Vindictam laceræ depoſcunt militis vmbræ,
Alterniſque rogis ſemper funeſta parentat
Seditio; nullæque ferunt diſcrimina Parcæ.
Quæ tanti medicina mali, plagæque cicatrix
Sufficiat? non Pæoniis medicabile ſiluis
Vulnus hiat, rabidique patet via lubrica fati.
Quiſnam audet leges diſtricto ponere ferro,
Et Martis cohibere manus? miteſcere neſcit
Robur, & admotas ridet furor igneus artes:
Et vulnus medicina creat, renuitque medelam
Plaga ferox, neſcitque ſuis occumbere fatis.
Tu tandem LÆVINE *veni, rabiémque coërce*
Conſilij frenis: libertatémque furoris
Iniecto doceas pacis ſeruire lupato.

Hieronymus van Seurck.

Hactenus tenuerunt nos ea quæ ante capeſſitam Antuerpienſem Inſulam præclarè à Torrentio geſta ſunt. Accedimus tandem ad canendum magna ipſius Epiſcopatus facinora; inter quæ, an maius vllum æſtimari poſſit, quando vltimis quatuor Dignitatis ſuæ annis circiter ſepties mille à fide alienatos Eccleſiæ conciliauit, ambiguum ſanè eſt. Pro hoc ergo munere ita ei applauſum fuit.

QVid vana vaſto gloria ſpiritu
Victoris inflas pectora Romuli,
Qui mille pugnaces Sabinos
Fudit ouans dominante ferro?
Quid ille mucro cædibus humidus,

Mul-

Multóque tinctus ſanguine ciuium,
L Æ V I N I *ad enſem, non nefandâ*
Cæde Remi malè purpuratum?
Salubre ferrum eſt P R Æ S V L I S, *alligat*
Sanátque doctâ vulnera dexterâ,
Hoc purgat, hoc menti medetur,
Hoc animo reparat calorem.
Hoc colla ferro lurida viperis
Magni inſtar audax Perſeos amputas,
O magne P R Æ S V L, *maior ipſo*
Hercule, Abantiacoque maior.
Anuerſa teſtis nexibus Hæreſin
Trahi reuinctam per vaga compita
Vidit, catenatámque duci
P R Æ S V L I S *Aduatici tropheo.*
Teſtis Batauis ſeditionibus
Malè æſtuoſi mens populi redux,
Perſuaſa, L Æ V I N O *vocante,*
Hæreſeos reſecare fœdus.

Conrardus Tucherus.

LÆVINO TORRENTIO

pro reductis ad FIDEM ſeptem hominum millibus Epos triumphale.

QVæ virginali mole graues rotæ
Igni coruſco nubila diuidunt?
Auriga quis cæli per vndas
Flectit equos, celerémque currum?

Noſco;

Noſco; quadrigis nixa micantibus
FIDES, *triumphum ſtelligeris canit*
Elata campis, dum per orbes
Sidereos agitat nitentes
PRÆSVL *iugales Virginis inclytæ,*
Dum mille circum laurigerum caput
Stipant adulantes cateruæ
Quas medio reuocauit Orco.
Implexa tantis cura laboribus
Et infulati dextera Principis.
Nam qualiter fluctus ſequaces
Ad placidi modulos ſuſurri
Duxêre nerui Threïciæ chelys,
Cinctáſque ſiluas mollibus incolis,
Lupóſque, ductiléſque tigres,
Et poſitâ rabie leones;
Subtraxit orbis viſcera Battaui
Atraque ſummas hæreſeos fibras
Fecunda LÆVINI *voluptas*
Atque animi lyra blandientis.
Senſêre fauſto Mattiaci Deo
Ebullientes pectoris impetus
TORRENTIANI, *dum retrorſum*
Vela dare, atque aliis phaſelum
Gaudent reflexam credere flatibus:
Nec celſioris militiæ ſagum
Auctore reſpuêre tanto
Battauicæ pugiles palæſtræ.
O ſuaue linguæ robur amabilis,
Potens feroces flectere ſpiritus!
Chelyſque natiui canoris
Threïciâ potior Camœnâ.

David Haex, Antuerp.

E Non

Non ſtetit tam anguſtâ victoriâ ardor ille immenſus fidei propagandæ; ſed torrentis inſtar, qui exili coactus alueo, mox in diuerſa labitur aquarum diuortia, latiùs ſe diffudit. Parum nempe erat animo tam vaſto ſemel pugnaſſe feliciter, voluit etiam Duillij more perpetuò triumphare. Patribus ergo Societatis IESV, quos in hæreticorum ſalutem nouerat ſedulò excubare, Louanij domum impenſâ egregiâ locupletauit, vnde Fundatoris ſibi nomen adſciuit. Leodij, primus etiam auctor exſtitit Ciuitati, iiſdem Patribus domum vti compararent. Pro quo munere

LÆVINO TORRENTIO
Fundatori Collegij Societatis IESV
gratias agit I. de Cater.

QVid inuidendis atria poſtibus
Commenta vanæ ludicra gloriæ,
Quid vertice elato minantur
Stelliparis inimica regnis?
Quid docta celſæ culmina Pœciles,
Munita ahenis culmina fratribus,
Somnos inanes, & diſerti
Dogmata Panthoidæ figurant?
Stet fixa mentis ſub penitæ fibris,
Ædiſque viuat fama Platonicæ,
Decuſquè in ore poſterorum

Cecro-

Cecropij vigeat Lycei,
Inſanientis dum ſapientia
Themis labores falſâ probat ſuos
Caſſóſque niſus,& pudendis
Implicitos animos tenebris:
Geſtit nitenti mole beatior,
Geſtit ſacratâ prole ſuperbior,
Et clarioris conſulatus
Palladios celebrans alumnos
Vrbs eruditis inclyta Patribus,
Quam candidatis Aonidum choris
P R Æ S V L *dicauit,& ſacrata*
Laurigeros ſophiæ penates.
Nam vidit altâ mente quid indoles
Inſtructa fauſtis ſub penetralibus,
Quid recta nutrimenta poſſent,
Quid placidæ gremium Mineruæ:
Doctrina quàm vim promoueat ſuam
Quantúmque cultus pectora roborent,
Non indecori,quàm magiſtra
Lex teneros moderetur annos.
Auita ſurgunt alite candido
Vexilla I E S V,*queis mereat iugi*
Amœna proles laureati,
Et Grudiam recreet iuuentam.
Toto coruſcans vertice, viuido
Tropæum I E S V *lumine fulgurat,*
Circumque LÆVINVM *ſuſurrant*
Militiæ proceres recentis.
Nec gratioris Eburo Præſidis
Ignarus , ædem ſacrifici laris
Domuíque fundamenta iacta
Vidit, & inſolitos fauores.

E 2 Epiſco-

Epſciopatu domi feliciter adminiſtrato, Legationibus foris benè geſtis, OB EAM REM FIERI PLACVIT, VTI IN CONCILIVM STATVS A PRINCIPE ADLEGERETVR. Quos titulos ita viſum eſt celebrare.

IAmdudum, LÆVINE, tuos dum verſibus actus
Proſequor, immenſis cumulatum laudibus æquor
Panditur, obſcuróque labat mihi limite curſus,
Et dubia incertæ caligant vela carinæ.
Nam quis conſilij, ſacri quis iuris & æqui
Noſſe modum melior? quiſnam voluentia curas
Pectora, quis vigiles ſenſus, iuſtique tenorem
Intactamque fidem referat; quam turbine nullo
Excutiet fortuna tibi, quam flectere numquam
Aut odium cogit, vel amoris gratia ſuadet?
Hanc vidit ſummas rerum qui flectit habenas
Belgiadûm, viditque viri raramque quietem
Caniciémque animi; ſuccinctáque pectora curis
Perſpexit, mentemque exercuit; ille ſacratis
Molem immenſam humeris, & vix tractabile pondus
Impoſuit, téque ad ſummi ſublimia regni
Conſilia aſſumpſit. tibi namque aſperrima ſuetus
Credere, partirique metus: quibus Hæreſis armis
Concidat: extorto quænam bona tempora bello,
Quídve ſtatus clamet Patriæ: quod tempus amicum
Fraudibus, aut ſæui poſcat quod fœdera belli.
Tu doctus, ſenſumque Ducis, tantamque verendi
Mentem implere viri, iuſſiſque ingentibus vnus
Sufficere, & poſito bellum ſopire tumultu.
Quòd reſonet Phœbea chelys, quòd pectine neruos
Aoniæ tetigere Deæ, tibi Belgica debet.

Quòd

Quòd faber agreſtem vertat thoracas in vſum,
In falcem quòd caſſis abit, tibi Belgica debet.
Quòd natis, tectiſque ſuis reddantur & agris
Damnati fato populi, tibi Belgica debet.
Denique quòd leges, fecundáque ſæcula culpæ
Ad priſcum rediere decus, ſeſéque vigentem
Viuentémque videt, PRÆSVL, *tibi Belgica debet.*

Gaſpar Geuartius.

LÆVINO TORRENTIO
Conſiliario Status.

QVid mœſta planctu proſequeris tuo
Viuóque luctu Curia Præſulem
Te deſerentem, quid ſuperbum
Imbre genæ violas ruborem?
Quid inſtar vndæ cælitis, in ſinu
Fecunda multo quam roſa parturit,
Pergis tenellos Roma fletus
Et vitreos animare rores?
Ceſſent querelæ: Regia Conſulem
Et iudicantem Belgica Præſulem
Quærit, moráque feſſa longâ
E Latio reuocat theatro:
Nouíſque ſemper turbida motibus,
Et luctuoſis quaſſa fragoribus,
Rebus leuamen inquietis
Heu Patria ingeminat Parentem:
Altóſque ſacri Numinis impetus
Et irreflexum iudicium probat,
Canáſque maturæ pruinas

 Men-

Mentis & eloquij fluentum:
Dum ſanctioris conſilij parem
Curis vigorem Regia prouehit,
Latíque veſtimenta claui
Et meritas tribuit curules.
Quem grandis inter pondera Curiæ
Non inſolenti mole grauis labor
Depreßit; ingentes per æſtus
Indole patriciâ ruentem.
Sed vt furentes Aeolij minas
Perpeſſa diui, quò premitur magis,
Magis reſurgit, & ſuperbit
Palma ſuis animoſa damnis;
Aut vector alti qualiter ætheris
Duro inquietam vertice machinam
Portat, nec orbes inſolentes
Intrepidum vegetúmque vultus
Flexere robur; fortior emicat
Curiſque tantis cedere neſcius
LÆVINVS: *& velut tenelli*
Hoſpitio malè tuta rami
Suſpenſa crebro concutitur metu,
Penniſque mater fœta cubilia
Vallat reductis, præcauétque
Fortuiti mala damna caſus;
Talem ſupremi Regia Conſilî
Canit Parentem, ſæpiùs ardui
Quod Belgicæ impenſi labores
Et vigiles gemuere noctes.
Fertur ſacratis in penetralibus
Suaſiſſe bellum plus vice ſimplici,
Et primus optauiſſe in enſes
Per medias ruere ipſe turmas;

Arma,

Arma, arma clamans, huc date parmulam
Date huc ſagittas, ſpicula, caſſidem;
Bellare ſi miles recuſet,
Me duce, me ſocio ſequatur.
Mota his, vacillans Curia, PRÆSVLIS
In dicta ceſſit; ſic ſtimulum addidit,
Et bellicoſi bellicoſas
Verba viri pepercre mentes.

Petrus vander Sterren, Eyndhouius.

Ob tot, tam inſignes tamque eximias virtutes, digniſſimo illi viro ſuas Honor ſtruxit inſidias; & ecce inopinanti Mechlinienſem impoſuit Archiepiſcopatum. Senex erat, & honorum magnitudinem lapſui ſemper vicinam perhorreſcebat. Obluctatus eſt ergo pro viribus, & ante inaugurationem in ipsâ mortuus eſt fugâ, anno ∞. IↃXCV. Id tamen eſt aſſecutus, vt cadendo, in luctâ, victor euaſerit, morte etiam repudiante dignitatem.

TORRENTIO
TIARAM Mechlinienſem repudianti.

QVò nimiùm inflata damnoſa ſuperbia mentis,
Ambitio quò cæca ruit? cùm laudis anhelat
Inconſumpta fames, penitiſque accenſa medullis
Æſtuat, & lento tendit præcordia voto,

Omnia vult & plura petit, ieiunáque prædæ
Incubat, & refugos auidè ſectatur honores,
Tantalicam commenta ſitim, inſatiatáque perſtat.
Captantem ſic doctâ fuga, luditque fugitque
Gloria, conantémque ſequi fruſtrata, recedit
Acceditq́; iterùm, incertóque reciproca lapſu
Decipit inuitans; animos ſic ducit hiantes,
Et nimiùm pronas in mille pericula mentes,
In clades, in fata trahit. ruit ille per hoſtes
Laudis amans; iuuat ire, iuuat, quò gloria ducit,
Per ferrum, per tela ſequi, iuuat ire per enſes
Vt cingat Muralis honos, vt Ciuica crines
Vinciat, vt victis niteat Roſtrata carinis.
Hic ambit, prenſátque manus; verbíſque fauorem
Corrogat, & vana captans ſuffragia plebis,
Muneribus vultúque rogat; nunc aucupis inſtar,
Qui volucri ſtruit inſidias, explorat ab omni
Parte, petit, mulcet, blanditur, & omnia tentans
Venales tantùm donis venatur honores.
Non ſic LÆVINVS, *quem magnum oblata poteſtas,*
Maiorem contempta probat: non gloria pectus
Obſedit, non laudis amor, veſanáque traxit
Ambitio tantíſque dedit turgeſcere factis:
Non regum petiit trabeas, non ambitus audax
Annua venali miſcens certamina campo,
Et dubius certauit honos; non candida cinxit
Pænula, quæ varium plebis tentaret amorem.
Scilicet ipſa ſibi Virtus placet, ipſa refulget,
Et plauſu contenta ſuo, non plauſibus vllis
Erigitur, vanóque optat clareſcere faſtu;
At proprium complexa decus, non indiga laudis,
Emicat, & iuſtos meritis diſpenſat honores
Iudex vera ſui. en ſe non meruiſſe fatetur

*L*ÆVINVS,*laudemque negat: ſacratior ambit*
Inſula, nolentemque trahens inuitat, & vltrò
Ipſa rogat; negat ille tamen, pauiduſque ſequentem
Declinat, latebráſque parat ſtruxiſſe timori,
Inque ſuâ virtute latens prodire repugnat:
Et velut admoto trepidans ſplendore, reſiſtit
Ac lucem famámque timet, ſeſeque videndum
Subtrahit, inſtantem fugiens, metuitque teneri.
Gloria ſed ſequitur multùm velocior, inſtat
Cedenti, iam iamque tenet, ſimiliſque tenenti
Luditur, elapſúmque ſtupet: celer ille recedit
Et veluti dubitans, an ſit comprenſus, ab ipſo
Eripitur fato, comprendentemque relinquit.
Sic mors amborum luctam interiecta diremit;
Harentémque fugam tenuit; cadit ille, cadentem
Occupat, & victi victrix poſt fata triumphat
Gloria; ſpretus honor, maiorem præbet honorem.

Theodorus Middelton.

De TORRENTII eruditione vix locuti ſumus; ſed hîc laudandæ eius commodior relictus eſt locus: cuius ille præclariſſima duo voluit exſtare monumenta, Suetonium & Horatiũ illuſtratos. pro quâ gratiâ

TORRENTIO
TRANQVILLVM illuſtranti
Iacobus de Cater ita luſit.

*Q*Vid conſularia ſidera purpuræ,
Et ſubmouentum munia faſcium,

Togaque, gemmantéſque cinctus,
Et nitidi trabeæ decores;
Caliginoſo ſi lateat ſpecu
Antiquitatis nubila gloria,
Nullóque ſub Cenſore conſtans
Immeritis pereat tenebris?
Lugent auorum ſæcula poſteris
Ignota, nulli peruia lumini:
Neſcit quid aui fama tanti,
Quid veterum referant labores,
Proles ſequentis poſtuma temporis,
Dum nota nullis grandia ſenſibus,
Vatúmque Rhetorúmque ſordent
Preſſa ſuo monumenta fumo.
Has liuor audax, & tacito gradu
Nubes vetuſtas concitat, & bonis
Inuiſa, fortunaque dulci,
Diua ſuis inimica fibris.
At non pudendis territus hoſtibus,
Feruore plenus ſpiritus igneo
TORRENTII, *torrente vena,*
Perſpicuiſque fluens procellis,
Tenebricoſi flumina gurgitis,
Nigrique fluctus irradiat freti,
Curſúmque præparat fidelem
Fluctiflua Cynoſura puppi.
I, ſcande paſſu nobilis aureo
Optata magni mœnia Romuli,
Altáſque libratus per auras,
Et nitido rubicundus oſtro,
Quicumque auita gaudia Patriæ
Reddis, micanti lætus adoreâ,
Gentéſque, pugnacéſque Reges

Romu-

Romuleis ſubicis catenis.
TORRENTIANIS *clara laboribus*
Tropæa fulgent Imperÿ noui,
Omniq́ue vindicanda nube
En veteris decora alta gentis.
En ipſa puſis nota clientibus,
Vix nota quondam ſæcula Patribus
Antiqua, PRÆSVLISq́ue *curâ*
E proprio rediuiua buſto.

TORRENTIO

TRANQVILLVM Notis explicanti.

ARdua teſtantur veterum monumenta virorum
Hunc quondam in caſtris morem viguiſſe Quiritum,
Vt ſua Chaoniæ frondis veſtiret honore
Tempora, qui validis calcato viribus hoſte,
Romanum potuit morti ſubducere ciuem:
At per quem Stygias cecidiſſent quina ſub vmbras
Millia, & hoſtiles fudiſſet Marte phalangas;
Alta triumphali Romæ Capitolia pompâ
Scanderet, & meritâ velaret tempora lauro.
Quòd ſi tanta hominem quondam ſeruantibus vnum
Gloria, vel multos bello mactantibus hoſtes;
Quæ tibi laus poterit, quæ Ciuica digna rependi
TORRENTI, *aut quantæ penſabunt facta coronæ?*
Qui tot Cæſareas animas, iam penè ſepultas
Reddideris luci, & medio detraxeris Orco;
Muſarúmque hoſtes, quorum Ignorantia Princeps
Obductam rapiens tetrâ caligine nubem,

Sic

Sic cum Barbarie, ſuperâ de ſede fugaſti,
Eminus & Stygias Lethes tranſmittis in vndas?
Te cingat Muralis honos, tua tempora læta
Aduelent laurus, meritaque in vertice quercus.
Obrutus immundo, ſquallens SVETONIVS *ora,*
Puluere, vix animam denſâ ſub nocte trahebat:
At poſtquam nitido LÆVINI *pumice terſus*
Inuida diſcuſſit tenebroſi obliuia ſecli,
Iam tandem populi geſtit prodire ſub ora
Cultior, & ſenium vernantibus exuit annis.
Carnifices nec litterulis te figere ſtellas
Plebeium delectat opus LÆVINE; *ſed inſtas*
Ardua quæque notans: velut alta per æquora caſſes
Oceani populator agit, & retia ſummis
Ducit aquis, prædamque imis ſcrutatur in vndis;
Sic dubia enodas, & inobſeruata recludis,
Senſáque longæuos numquam compreſa per annos
Eruis, & cæcis cogis prodire tenebris,
Quid faſces, trabeaque velint, cinctuſque Gabini.

Gaſpar Geuartius.

Poſtumas TORRENTII in Horatium Notas habent & gaudent Muſę. Diuinus profectò is eſt fœtus, magni ingenij & eruditionis. vnus næuus eſt non vitio LÆVINI, ſed ſcelere Fatorum: heu! deprenſus eſt doctus ille calamus in metâ laboris, iuſſuſque abſiſtere ab Arte Poëticâ Flacci. Placuit triſtes Muſas ita affari.

TORRENTIANO *Melpomene potens*
Labore, blandas quid lacrymis genas

Ceſſas

Ceſſas obortis,ob dolendum
Interitum temerare alumni?
Deſcende ſiluis Aöniis,choros
Tandem ſororum deſere dulcium,
Regnata ſacra linque Cyrrha
Culmina fatidico bubulco.
Carmen Camœnâ concine lugubri,
Luctuſque profer: occidit, occidit,
Illuſtre LÆVINVS *palaſtra*
Aduatica decus atque lumen.
Superba qui dum carmina turgidi
Chartis HoratI clariùs explicat,
Vocem tenere Parca iuſſit
In medio furibunda curſu.
Velut furenti Baſſaridum manu
Diſcerptus Orpheus,dum Superûm lyrâ
Dulces amores cantat,atque
Saxa trahit modulante neruo,
Tigréſque plectro ducit amabili,
Et ſaltitantes allicit ilices,
Finire cœptam lacrymoſis
Non potuit fidibus Camœnam.
Frandata quantis veſtrà nitoribus
Eſt laus HoratI! quàm celebris fores,
Cœptas cicatrices ſupremâ
Si poterat recreaſſe dextrâ?
Tibi expolita nomina pagina
Nouamque lucem debet Horatius,
O magne TORRENTI, *ſagacis*
Ingenij eloquiique torrens:
Tuâ refectus viuit enim manu
Codex Poëta; tu laceram iubes
Coïre chartam ,tu lituras

Arti-

Artifici calamo refigis.
Fruſtrà ſuprema culmina gloriæ
Olim petiſſet, néve perennius
Poema conſtruxiſſet ære,
Ni cariem tuus arcuiſſet
LÆVINE *ſudor; circuis integrum*
TORRENTE *nomen, tu prohibes edax*
Adnare tempus, quod paratas
Comminuat rapiátque lauros.
Franciſcus Marcelli, Antuerp.

HORATIO FLACCO
TORRENTII Notis illuſtrato.

EXere FLACCE *caput, mediiſque è faucibus Orci*
Vates magne redi. non inuidioſa vetuſtas
Ignauo torpere ſitu ſquallentia iuſſit
Scripta, vel ingenij fœtus poſt fata parentis
De rapto tutore queri; exemptúmque ſepulchro
Viuit opus, neſcitque mori; nil inuida carpſit
Ætatum caries, nil fœda ſilentia terris,
Nil æui nocuere moræ, plorandaque quondam
Tempora, cùm Aonidum iacuit calcata ſororum
Gloria, & inuiſum violentior extulit orbi
Barbaries iurata caput: tuus integer ille
Spirat adhuc calor, extinctóſque reſuſcitat ignes
LÆVINI *accendente manu, qui lumina multùm*
E flammis radiata tuis efferre ſub auras
Ætheris, & doctos gaudet nutrire labores,
Atque auſus luſtrare tuos. quòd fama ſuperſtes
Dat vitam ſcriptis, dat longum in ſæcula nomen,
Et magnum poſt fata decus, quòd gloria faſtis

Tra-

Tradiderit, Muſáſque ſuo tranſmiſerit æuo,
LÆVINO *debetur honos; qui implexa reſoluens,*
Nodoſa enodans, altâ ſub nocte ſepulta
Eruit, ablatum reddit, truncata refingit:
Et velut ex cerâ format qui corporis artus,
Sic propriis membris errantia membra maritat,
Vt coëant, rurſuſque nouo concreta calore
Artifici viuos ducant ſub pollice vultus:
Vtque faber fuluum cùm ſpectat in ignibus aurum,
Attentat, vitia expendens, & adultera fumus
Æra, vagis quoties ludibria ventilat auris;
Conſulit ardentes flammas, atque igne magiſtro
Materiámque aurumque probat: ſic omnia ſolers
Diſcutit, & vitia explorans, ſe iudice tollit
Quæ tollenda videt, verâ radiantia luce
Ex ipſo fulgore probans, nec ſubdolus error
Ingenio cenſore latet, pura omnia ſplendent
Natiuumque decus LÆVINO *teſte fatentur,*
Et veluti ſelecta placent: ſola illa fatentur
Seſe poſſe minùs, calamo quæ indice nondum
LÆVINI*que probata manu. ſed Muſa querelas*
Supprime: quid fruſtrà incuſas? non omnia fatum
Permiſit, letique grauis furor: abſtulit ille,
Abſtulit, & noſtro rapuit crudelior orbi
Extremum mors auſa nefas, medioſque labores
Abſcidit, & tantis manus vltima defuit auſis.

Theodorus Middelton, Antuerp.

LÆVINO TORRENTIO FLACCI Ariſtarcho.

QValiter arguto præludit gutture fatis
Dulcis olor, proprij dū blandus funeris augur,

Parca-

Parcarum ludit furias, meritoque parentans
Officio, mortem læto clangore ſalutat:
Aut reducis Phœnix agitans exordia ſæcli
Inferias ſoluit ſenio, precibuſque canoris
Allatura nouas vires incendia poſcit:
Aut velut Odryſiis vates truncatus in oris,
Dum Superûm cantare faces Paphioſque triumphos
Geſſit, & ignitis flagrantia pectora tedis,
Dulcia fila regens moribundo pollice pulſat
Mœrentes citharæ neruos, linguâque cruentâ
Murmurat, inque Hebrum cygneas carminis efflans
Relliquias mortem ſupremâ voce fatigat:
Haud ſecùs infeſto præreptus funere Muſis,
TORRENTI, *Lyricum dum puro gurgite vatem*
Eloquij Torrens & doctâ diluis vndâ
Caſtalióſque modos iterato pollice tentas,
Muſarum cunas imperfectumque laborem
Deſeris: ingenij turbo Phœbëia ponit
Murmura, & Aönia langueſcunt iurgia linguæ.
Deſolata dolet perculſáque ſtamine fati
Muſarum Pimplæa decus, chartiſque parentat
Munere ſupremo, dum baſia mille Camœnis
Figit, & ereptas lacrymatur arundinis artes.
Se fallit luditque Venus, dum cæca furore,
Deſertóſque lares & ſcrinia mœſta pererrat:
Credit adeſſe virum, luditque in imagine ſemper,
Quam ſibi finxit amor; deceptáque brachia pandit,
Diſperſóſque ſonos, abruptáque verba ſalutat.
Haud ſecùs ereptos fatali cuſpide natos
Cùm ſtupet exanimata parens, prolíſque rigentes
Nequidquam calidis vultus amplectitur vlnis;
Vix ſibi credit amor, pallentia funera luſtrans
Abſentem explorat vitam, corpúſque pererrat

Sparſa

Sparſa legens animi veſtigia: naufraga nutat
Sæpiùs, & rurſum fato ſpes ſurgit inani.
Quòd ſi non duræ rupiſſent fœdera Parcæ,
Nec Flacci ſenio mendorum attrita Poëſis
Squalleret, nondum LÆVINO *animata magiſtro;*
Ceſpite contempto deiectus Pluto iaceres,
Nec tibi ditatas mercator poneret aras:
Ambiret Pimplæ doctos Anuerſa liquores,
Non Indos Afróſque petens; gemmíſque reuectis,
Doctior Aöniæ cuperet commercia linguæ:
Et Martem fugiens, Phœbum Bellona foueret,
Damnatíſque tubis optarent claſſica Muſas.

Hieronymus van Seurck.

ANTVERPIENSI emporio, nihil ad abſolutam felicitatem, in copioſiſſimis opibus, deeſſe videbatur, præter magnam alicuius Antiſtitis Nobilitatẽ: hîc ergo, Fortuna eius etiam obſequio velificata eſt, cùm in TORRENTII locum, TORRENTIO amiciſſimum Leodicenſis Eccleſiæ Decanum conſtituit, non nouum illum, ſed antiquiſſimæ Nobilitatis GVILIELMVM A BERGIS, è magnâ familiâ GRIMBERGORVM, anno ∞. IↃ. XCIII. De cuius generoſâ proſapiâ, ita placitum fuit primùm præfari.

NOBILISSIMO
ANTVERPIENSIVM PRÆSVLI
GVILIELMO A BERGIS
auitæ GENEROSITATIS vindici
patrias Ceras & Imagines
Theodorus Middelton gratulatur.

INgnatis patriæ ſemper virtutis imago
Splendet, & æquales ſimili de ſanguine vires
Progenies generoſa trahit, ſtirpémque parentum
Indicat, & ſolus ponit diſcrimina vultus:
Sic æquâ virtute pares, patrúmque ferentes
Robora, qui claro ſurgunt de ſtemmate partus,
Atque animo ſe teſte probant: vt fulminis heres
Fulmineos tantùm fœtus, Phœbóque probatum
Educit cælóque genus, quod ſole magiſtro
Exploratores ſpectans audaciùs ignes,
Non cælum flammáſque timet, viſúque laceſſit
Nobiliore diem: titulis generoſus auitis
Vt laudatur equus, qui non oblitus honorum,
Pugnat habere parem, iuſtâ cui debita palma
Feruet & exultat rauco victoria circo,
Currentémque acuit; ſic altâ ex ſtirpe reluxit
GVILIELMO *ſublime decus, qui excelſa parentum*
Nomina, qui patrios æquat felicior auſus,
Hac dignum ſe ſtirpe probans, & auita reportans
Stemmata, cognatâ pariter virtute triumphat.
Quis ceras GVILIELME *tuas, quis patria dicat*
Nomina? non Thuſco ramum milleſime ducis
Sanguine, ſed pictos gaudes oſtendere vultus,

Et

Et tua facta ſimul: tibi magnâ ab origine fluxit
Stirpis honos, multúmque ferox in prælia virtus
Pugnaces illuſtrat auos, quibus æmula Marti
Pectora, diſtrictumque nihil metuentia ferrum,
Armatáque in fata manus: te Belgica teſtor,
Te fatis Grimberga tuis propriiſque ſuperbam
Cladibus, ô quantum miſiſti in prælia robur,
Et quales in bella duces! tot tela, tot enſes,
Agmináque imparibus ſecum luctantia fatis,
Bartholdáſque acies, ter eodem limite currens
Sol ſtupuit, refugoſque diem conuertit in ortus.
Sic Martis rabies, & lucis prodigus arſit
Impetus, aduerſiſque negans cecidiſſe ſub armis.
Præbuit arma furor, virtúſque minacior hoſtem
Strauit, & imbelles fregit generoſa furores;
In cunis donec GODEFRIDE *furentia tecum*
Agmina & vltrices rapiens in bella phalangas,
GRIMBERGAM *hoſtili docuiſti cedere ferro.*

Romæ priuatus agebat GVILIELMVS A BERGIS, cùm in legatione ibidem verſaretur TORRENTIVS; ſed ita in publicum eius virtus erupit, velut indignata celari diutiùs, vt deferēdum illi, ad Grouſbequium Leodicenſem Epiſcopum, Cardinalitiæ dignitatis pileum tradiderit Pontifex Maximus. Id canit Hieronymus van Seurck.

CVm poſitis præco miteſcere ſæcula bellis
Panderet, & blandæ conſortia dulcia pacis
Felici percuſſa Deo; feſſóque Gradiuo
Otia, & amotis caneret noua fœdera ſignis:
Ilicò feſtino populus reſonare fragore,

 Gra-

Gratáque blanditæ lætari munera ſortis,
Et diuûm faciles animos: inuiſa bifrontis
Limina Cenſoris, *deteſtatóſque penates*
Eumenidum, grauibus matres mœrere catenis
Gaudent, & molles pacis iuueneſcere oliuas:
Applaudunt patres, ordo conſentit equeſtris,
Blandáque ſolemnes inſtaurant pegmata voces.
Non ſe Roma capit, communi læta fauore,
Et ſeptemgeminis reſponſat montibus Echo.
Quin etiam læto gauiſus munere Achæus,
Pilea clamoſô dum murmure grata ſalutat;
Caſtra ſtupent volucrum, formidataſque latronum
Exhorrent Aquilas, iam prælusiſſe Gradiuum
Barritu, miſeræque timent diſpendia vitæ:
Remigij obliti corui, torpente volatu,
Aëriæque pluunt acies: volucrumque ruinas
Horrida perculſi miratur ſcena theatri.
Non aliter læta te mœnibus vrbis Eburo
Excepit reducem, cùm ſplendida pilea Patrum
Grouſbekio, ſacrámque togam GVILIELME *tuliſti,*
Emeritamque nouâ cumulaſti luce tiaram.
Singula feſtiuis alludunt compita linguis,
Et tibi ſolemni blanditur curia plauſu.
Omnis nobilitas, omnis te grata ſalutat
Gallia, & horrentes inclinant ſaxa Camœnæ.
Vicinum præbere latus, veſtigia tanta
Et gratos luſtrare pedes, plebs cuncta laborat;
Auguſtúmque decus non illaudata laceſſit
Seditio. tanto quæ ſurgens numine Delos
Præſcia laurigeras attollit littoris aras,
Venturi quoties Phœbi præcurrit imago?
Quis ſic auratis tumuit Pactolus *arenis,*
Cùm ſacrum geſtauit onus, Bromiúmque cruentum

(Signa

(Signa triumphatis poſtquam flexiſſet ab Indis)
Flauenti fouit gremio, blandiſque procellis
Abluit, & placidis molliuit fluctibus iras?
Nónne vides blando diſpenſent gaudia vultu,
Praconique ſuo latas plebs obuia voces
Eliciant, totáſque trahant in lumina frontes?
Tecta tenent pueri: complentur matribus ædes,
Inſtratáque virûm platea ſub mole laborant.
At cur non proprios tantâ GVILIELME *tiarâ*
Illuſtras capitis radios; atauûmque triumphis
Aſſocias meritum mitra decus? apta repoſcit
Dextra pedum, & nullo nutans ſub pondere ceruix
Purpureas poſcit vittas: atque inſcia flecti
Mens regina ſacros diuûm ſibi vindicat ignes.
Noſco animos cauſſáſque Deûm: tibi grandia Parca
Regna parant, maiúſque ſacra diadema tiara
Emeritos cinget canos: tibi celſior arces,
Atriáque antiquis patrum decorata tropæis,
Duplicis ornabit mitra decor. aurea donis
Applaudit fortuna ſuis: atque omine grato
Praſcia naſcenti praludunt ſtemmata mitra.
Tu ſtadiis aleris fama, verſanſque coronas
Aſſueſcis regno: gratóque in puluere honorum,
Dum iuuenes animos imbelléſque imbuis annos
Robore virtutum, geſtandas Numina vittas
Donant, tractandiſque Aſtræa efformat habenis:
Qualiter inſueti affectans certamina campi
Impubes tiro, primùm ſimulacra Gradiui,
Mendacéſque mouet pugnas, paruóſque lacertos
Contorquens vacuâ ſecum luctatur arenâ:
Nunc caſtris animos nutrit, mox ſpicula tentans
Ductor in anguſtum viſus coit: altiùs ardet
Sæpiùs abſentéſque fatigat ſpiritus hoſtes.

Sic cum Barbarie, ſuperâ de ſede fugaſti,
Eminus & Stygias Lethes tranſmittis in vndas?
Te cingat Muralis honos, tua tempora læta
Aduelent laurus, meritaque in vertice quercus.
Obrutus immundo, ſquallens SVETONIVS *ora,*
Puluere, vix animam denſâ ſub nocte trahebat:
At poſtquam nitido LÆVINI *pumice terſus*
Inuida diſcuſſit tenebroſi obliuia ſæcli,
Iam tandem populi geſtit prodire ſub ora
Cultior, & ſenium vernantibus exuit annis.
Carnifices nec litterulis te figere ſtellas
Plebeium delectat opus LÆVINE; *ſed inſtas*
Ardua quæque notans: velut alta per æquora caſſes
Oceani populator agit, & retia ſummis
Ducit aquis, prædamque imis ſcrutatur in vndis;
Sic dubia enodas, & inobſeruata recludis,
Senſáque longæuos numquam comprenſa per annos
Eruis, & cæcis cogis prodire tenebris,
Quid faſces, trabeæque velint, cinctuſque Gabini.

Gaſpar Geuartius.

Poſtumas TORRENTII in Horatium Notas habent & gaudent Muſę. Diuinus profectò is eſt fœtus, magni ingenij & eruditionis. vnus næuus eſt non vitio LÆVINI, ſed ſcelere Fatorum: heu! deprenſus eſt doctus ille calamus in metâ laboris, iuſſuſque abſiſtere ab Arte Poëticâ Flacci. Placuit triſtes Muſas ita affari.

TORRENTIANO *Melpomene potens*
Labore, blandas quid lacrymis genas

Ceſſas

Ceſſas obortis, ob dolendum
Interitum temerare alumni?
Deſcende ſiluis Aöniis, choros
Tandem ſororum deſere dulcium,
Regnata ſacra linque Cyrrha
Culmina fatidico bubulco.
Carmen Camœnâ concine lugubri,
Luctuſque profer: occidit, occidit,
Illuſtre LÆVINVS *palæſtræ*
Aduaticæ decus atque lumen.
Superba qui dum carmina turgidi
Chartis Horat I clariùs explicat,
Vocem tenere Parca iuſſit
In medio furibunda curſu.
Velut furenti Baſſaridum manu
Diſcerptus Orpheus, dum Superûm lyrâ
Dulces amores cantat, atque
Saxa trahit modulante neruo,
Tigréſque plectro ducit amabili,
Et ſaltitantes allicit ilices,
Finire cœptam lacrymoſis
Non potuit fidibus Camœnam.
Fraudata quantis veſtra nitoribus
Eſt laus Horat I! quàm celebris fores,
Cœptas cicatrices ſupremâ
Si poterat recreaſſe dextrâ?
Tibi expolitæ nomina paginæ
Nouamque lucem debet Horatius,
O magne TORRENTI, *ſagacis*
Ingenij eloquiique torrens:
Tuâ refectus viuit enim manu
Codex Poëtæ; tu laceram iubes
Coïre chartam, tu lituras

Arti-

Artifici calamo refigis.
Fruſtrà ſupremæ culmina gloriæ
Olim petiſſet, néve perennius
Poema conſtruxiſſet ære,
Ni cariem tuus arcuiſſet
LÆVINE *ſudor; circuis integrum*
TORRENTE *nomen, tu prohibes edax*
Adnare tempus, quod paratas
Comminuat rapiátque lauros.
Franciſcus Marcelli, Antuerp.

HORATIO FLACCO
TORRENTII Notis illuſtrato.

E*Xere* FLACCE *caput, mediiſque è faucibus Orci*
Vates magne redi. non inuidioſa vetuſtas
Ignauo torpere ſitu ſqualentia iuſſit
Scripta, vel ingenij fœtus poſt fata parentis
De rapto tutore queri; exemptúmque ſepulchro
Viuit opus, neſcitque mori; nil inuida carpſit
Ætatum caries, nil fœda ſilentia terris,
Nil æui nocuere moræ, plorandáque quondam
Tempora, cùm Aonidum iacuit calcata ſororum
Gloria, & inuiſum violentior extulit orbi
Barbaries irata caput: tuus integer ille
Spirat adhuc calor, extinctóſque reſuſcitat ignes
LÆVINI *accendente manu, qui lumina multùm*
E flammis radiata tuis efferre ſub auras
Ætheris, & doctos gaudet nutrire labores,
Atque auſus luſtrare tuos. quòd fama ſuperſtes
Dat vitam ſcriptis, dat longum in ſæcula nomen,
Et magnum poſt fata decus, quòd gloria faſtis

Tra-

Tradiderit, Muſáſque ſuo tranſmiſerit æuo,
L*ÆVINO debetur honos; qui implexa reſoluens,*
Nodoſa enodans, altâ ſub nocte ſepulta
Eruit, ablatum reddit, truncata refingit:
Et velut ex cerâ format qui corporis artus,
Sic propriis membris errantia membra maritat,
Vt coëant, rurſuſque nouo concreta calore
Artifici viuos ducant ſub pollice vultus:
Vtque faber fuluum cùm ſpectat in ignibus aurum,
Attentat, vitia expendens, & adultera fumus
Æra, vagis quoties ludibria ventilat auris;
Conſulit ardentes flammas, atque igne magiſtro
Materiámque aurumque probat: ſic omnia ſolers
Diſcutit, & vitia explorans, ſe iudice tollit
Quæ tollenda videt, verâ radiantia luce
Ex ipſo fulgore probans, nec ſubdolus error
Ingenio cenſore latet, pura omnia ſplendent
Natiuumque decus LÆVINO *teſte fatentur,*
Et veluti ſelecta placent: ſola illa fatentur
Seſe poſſe minùs, calamo quæ iudice nondum
LÆVINI*que probata manu. ſed Muſa querelas*
Supprime: quid fruſtrà incuſas? non omnia fatum
Permiſit, letique grauis furor: abſtulit ille,
Abſtulit, & noſtro rapuit crudelior orbi
Extremum mors auſa nefas, medioſque labores
Abſcidit, & tantis manus vltima defuit auſis.

Theodorus Middelton, Antuerp.

LÆVINO TORRENTIO FLACCI Ariſtarcho.

QValiter arguto præludit gutture fatis
Dulcis olor, proprij dū blandus funeris augur,

Parca-

Parcarum ludit furias, meritoque parentans
Officio, mortem læto clangore ſalutat:
Aut reducis Phœnix agitans exordia ſæcli
Inferias ſoluit ſenio, precibuſque canoris
Allatura nouas vires incendia poſcit:
Aut velut Odryſiis vates truncatus in oris,
Dum Superûm cantare faces Paphioſque triumphos
Geſtit, & ignitis flagrantia pectora tedis,
Dulcia fila regens moribundo pollice pulſat
Mœrentes cithara neruos, linguâque cruentâ
Murmurat, inque Hebrum cygneas carminis efflans
Relliquias mortem ſupremâ voce fatigat:
Haud ſecùs infeſto præreptus funere Muſis,
TORRENTI, *Lyricum dum puro gurgite vatem*
Eloquij Torrens & doctâ diluis vndâ
Caſtalióſque modos iterato pollice tentas,
Muſarum cunas imperfectumque laborem
Deſeris: ingenij turbo Phœbëia ponit
Murmura, & Aönia langueſcunt iurgia linguæ.
Deſolata dolet perculſáque ſtamine fati
Muſarum Pimplæa decus, chartiſque parentat
Munere ſupremo, dum baſia mille Camœnis
Figit, & ereptas lacrymatur arundinis artes.
Se fallit luditque Venus, dum cæca furore,
Deſertóſque lares & ſcrinia mœſta pererrat:
Credit adeſſe virum, luditque in imagine ſemper,
Quam ſibi finxit amor; deceptáque brachia pandit,
Diſperſóſque ſonos, abruptáque verba ſalutat.
Haud ſecùs ereptos fatali cuſpide natos
Cùm ſtupet exanimata parens, proliſque rigentes
Nequidquam calidis vultus amplectitur vlnis;
Vix ſibi credit amor, pallentia funera luſtrans
Abſentem explorat vitam, corpúſque pererrat

Sparſa legens animi veſtigia: naufraga nutat
Sæpiùs, & rurſum fato ſpes ſurgit inani.
Quòd ſi non duræ rupiſſent fœdera Parcæ,
Nec Flacci ſenio mendorum attrita Poëſis
Squalleret, nondum LÆVINO *animata magiſtro;*
Cæſpite contempto deiectus Pluto iaceres,
Nec tibi ditatas mercator poneret aras:
Ambiret Pimplæ doctos Anuerſa liquores,
Non Indos *Afróſque petens; gemmíſque reuectis,*
Doctior Aöniæ cuperet commercia linguæ:
Et Martem fugiens, Ph*œbum Bellona foueret,*
Damnatíſque tubis optarent claſſica Muſas.

Hieronymus van Seurck.

ANTVERPIENSI emporio,nihil ad abſolutam felicitatem, in copioſiſſimis opibus, deeſſe videbatur, præter magnam alicuius Antiſtitis Nobilitatē: hîc ergo,Fortuna eius etiam obſequio velificata eſt,cùm in TORRENTII locum, TORRENTIO amiciſſimum Leodicenſis Eccleſiæ Decanum conſtituit, non nouum illum, ſed antiquiſſimæ Nobilitatis GVILIELMVM A BERGIS, è magnâ familiâ GRIMBERGORVM, anno ∞. IↃ. XCIII. De cuius generoſâ proſapiâ, ita placitum fuit primùm præfari.

NOBILISSIMO
ANTVERPIENSIVM PRÆSVLI
GVILIELMO A BERGIS
auitæ GENEROSITATIS vindici
patrias Ceras & Imagines
Theodorus Middelton gratulatur.

IN gnatis patriæ ſemper virtutis imago
Splendet, & æquales ſimili de ſanguine vires
Progenies generoſa trahit, ſtirpémque parentum
Indicat, & ſolus ponit diſcrimina vultus:
Sic æquâ virtute pares, patrúmque ferentes
Robora, qui claro ſurgunt de ſtemmate partus,
Atque animo ſe teſte probant: vt fulminis heres
Fulmineos tantùm fœtus, Phœbóque probatum
Educit cæléque genus, quod ſole magiſtro
Exploratores ſpectans audaciùs ignes,
Non cælum flammáſque timet, viſúque laceſſit
Nobiliore diem: titulis generoſus auitis
Vt laudatur equus, qui non oblitus honorum,
Pugnat habere parem, iuſtâ cui debita palma
Feruet & exultat rauco victoria circo,
Currentémque acuit; ſic altâ ex ſtirpe reluxit
GVILIELMO ſublime decus, qui excelſa parentum
Nomina, qui patrios æquat felicior auſus,
Hac dignum ſe ſtirpe probans, & auita reportans
Stemmata, cognatâ pariter virtute triumphat.
Quis ceras GVILIELME tuas, quis patria dicat
Nomina? non Thuſco ramum milleſime ducis
Sanguine, ſed pictos gaudes oſtendere vultus,

Et

Et tua facta ſimul: tibi magnâ ab origine fluxit
Stirpis honos, multúmque ferox in prælia virtus
Pugnaces illuſtrat auos, quibus æmula Marti
Pectora, diſtrictúmque nihil metuentia ferrum,
Armatáque in fata manus: te Belgica teſtor,
Te fatis Grimberga tuis propriiſque ſuperbam
Cladibus, ô quantum miſiſti in prælia robur,
Et quales in bella duces! tot tela, tot enſes,
Agmináque imparibus ſecum luctantia fatis,
Bartholdáſque acies, ter eodem limite currens
Sol ſtupuit, refugoſque diem conuertit in ortus.
Sic Martis rabies, & lucis prodigus arſit
Impetus, aduerſiſque negans cecidiſſe ſub armis.
Præbuit arma furor, virtúſque minacior hoſtem
Strauit, & imbelles fregit generoſa furores;
In cunis donec GODEFRIDE *furentia tecum*
Agmina & vltrices rapiens in bella phalangas,
GRIMBERGAM *hoſtili docuiſti cedere ferro.*

Romæ priuatus agebat GVILIELMVS A BERGIS, cùm in legatione ibidem verſaretur TORRENTIVS; ſed ita in publicum eius virtus erupit, velut indignata celari diutiùs, vt deferēdum illi, ad Grouſbequium Leodicenſem Epiſcopum, Cardinalitiæ dignitatis pileum tradiderit Pontifex Maximus. Id canit Hieronymus van Seurck.

CVm poſitis præco miteſcere ſæcula bellis
Panderet, & blandæ conſortia dulcia pacis
Felici percuſſa Deo; feſſóque Gradiuo
Otia, & amotis caneret noua fœdera ſignis:
Ilicò feſtino populus reſonare fragore,

 Gra-

Gratáque blanditæ lætari munera ſortis,
Et diuûm faciles animos: inuiſa bifrontis
Limina Cenſoris*, deteſtatóſque penates*
Eumenidum, grauibus matres mœrere catenis
Gaudent, & molles pacis iuueneſcere oliuas:
Applaudunt patres, ordo conſentit equeſtris,
Blandáque ſolemnes inſtaurant pegmata voces.
Non ſe Roma capit, communi læta fauore,
Et ſeptemgeminis reſponſat montibus Echo.
Quin etiam læto gauiſus munere Achæus,
Pilea clamoſo dum murmure grata ſalutat;
Caſtra ſtupent volucrum, formidataſque latronum
Exhorrent Aquilas, iam prælusiſſe Gradiuum
Barritu, miseræque timent diſpendia vitæ:
Remigij obliti corui, torpente volatu,
Aëriæque pluunt acies: volucrumque ruinas
Horrida perculſi miratur ſcena theatri.
Non aliter læta te mœnibus vrbis Eburo
Excepit reducem, cùm ſplendida pilea Patrum
Grouſbekio, ſacrámque togam GVILIELME *tuliſti,*
Emeritamque nouâ cumulaſti luce tiaram.
Singula feſtiuis alludunt compita linguis,
Et tibi ſolemni blanditur curia plauſu.
Omnis nobilitas, omnis te grata ſalutat
Gallia, & horrentes inclinant ſaxa Camœnæ.
Vicinum præbere latus, veſtigia tanta
Et gratos luſtrare pedes, plebs cuncta laborat;
Auguſtúmque decus non illaudata laceſſit
Seditio. tanto quæ ſurgens numine Delos
Præſcia laurigeras attollit littoris aras,
Venturi quoties Phœbi præcurrit imago?
Quis ſic auratis tumuit Pactolus arenis,
Cùm ſacrum geſtauit onus, Bromiúmque cruentum

(Signa triumphatis poſtquam flexiſſet ab Indis)
Flauenti fouit gremio, blandiſque procellis
Abluit, & placidis molliuit fluctibus iras?
Nónne vides blando diſpenſent gaudia vultu,
Præconíque ſuo lætas plebs obuia voces
Eliciant, totáſque trahant in lumina frontes?
Tecta tenent pueri: complentur matribus ædes,
Inſtratáque virûm plateæ ſub mole laborant.
At cur non proprios tantâ GVILIELME *tiarâ*
Illuſtras capitis radios; atauûmque triumphis
Aſſocias meritum mitræ decus? apta repoſcit
Dextra pedum, & nullo nutans ſub pondere ceruix
Purpureas poſcit vittas: atque inſcia flecti
Mens regina ſacros diuûm ſibi vindicat ignes.
Noſco animos cauſſáſque Deûm: tibi grandia Parcæ
Regna parant, maiúſque ſacræ diadema tiaræ
Emeritos cinget canos: tibi celſior arces,
Atriáque antiquis patrum decorata tropæis,
Duplicis ornabit mitræ decor. aurea donis
Applaudit fortuna ſuis: atque omine grato
Præſcia naſcenti præludunt ſtemmata mitræ.
Tu ſtadiis aleris famæ, verſanſque coronas
Aſſueſcis regno: gratóque in puluere honorum,
Dum iuuenes animos imbelléſque imbuis annos
Robore virtutum, geſtandas Numina vittas
Donant, tractandiſque Aſtræa efformat habenis:
Qualiter inſueti affectans certamina campi
Impubes tiro, primùm ſimulacra Gradiui,
Mendacéſque mouet pugnas, paruóſque lacertos
Contorquens vacuâ ſecum luctatur arenâ:
Nunc caſtris animos nutrit, mox ſpicula tentans
Ductor in anguſtum viſus coit: altiùs ardet
Sæpiùs abſentéſque fatigat ſpiritus hoſtes.

NOBILISSIMO GVILIELMO A BERGIS CARDINALITIAM dignitatem deferenti ad GROVSBEQVIVM Principem Leodicenſem PONTIFICIS auctoritate.

NOn ſecùs ac plaudens animo Romana iuuentus
Induitur mites habitus & pacis oliuam,
Obuiùs effuſâ GRIMBERGO *geſtijt vrbe*
Aulercus, latiumque decus meliore iuuentâ
Accipiens, tacitâ voluit præſagia mente.
Circumſtant populi plauſus, fauſtáque reclamat
Voce fauor, laxant te viſo læta laboris
Gaudia duritiem, ſuſpenſáque præmia virtus
Tardat, & obtuſum languet dulcedine lucrum,
Te luſtrare labor: celſos vndare penates
Infuſo cernis populo, anguſtóque meatus
Fraudari gyro: pars læto vere rubentes
Deſuper euertit calathos, largóſque roſarum
Diſpargit tectis imbres: pars voce canorâ
Natiuas effundit opes, non vlla labore
Dextra vacat, fauſtus languentes excitat ardor.
Quales læta olim fundebat Achaia plauſus,
Dum redijt præcone ſalus, calcatáque bello
Libertas, ſumpſitque hilarum ſua pilea vulgus;
Remigij oblitæ ſoliti, cecidere volucres.
Sic te, ſic GVILIELME *vocant, binóque tumultu*
Creſcentem extendunt plauſum; vt ſe gloria fundat

Latior

Lætior,& reduci reſpirent gaudia voce.
Sic geminat lætos plaudenti voce ſuſurros
Vulgus, & imbelles immiſcet plauſibus iras:
Quò fers purpureos titulos Romane viator?
Flecte gradum, fauſtóſque comis innecte nitores,
Ipſe magis decoranda geres, te propria cinget
Gloria, & effuſo diteſces clarior auro.
Erubuit fortuna videns te culmine nondum
Veſtiri, claráque caput fulgere tiarâ.

Melchior vander Waterfort.

Nobilitas ipſa quæ Antuerpiam recrearat, grauiter etiam tum vulnerauit, cùm minorem eius Tiaram aſpernata, Cameracenſem Archiepiſcopatū ambiuit. Sed extra inuidiam fuit affectatio, quâ non PRÆSVLIS animus agitabatur; verùm ipſi Nobilitati, quæ ad ſumma ſemper ſuâ ſponte graſſatur, innata eſt.

IVſtitia Aduaticis cingentem tempora vittis
Viderat, atque humiles verſantem pectore curas,
Virtutúmque velut radios, atque æmula ſoli
Lumina, & incluſos arctantem preſſiùs ignes
Quos vibrat pietas, indignantéſque teneri
Conſtringentem animos, paruáque in ſede latentem:
Vix credit mirata virum, præcelſáque ſpectat
Robora, maturáque nouum grauitate Catonem
Vix cepiſſe poteſt, inclinantémque ſtupeſcit
Fortunæ vexilla ſuæ, ſpectanſq́ repugnat
Credere, tantum animis hominem non corpore menſa:
Mox etiam ſecum: Cur hac te ſede recondis

Belgarum ſublimis honos? quónam vſque tenebit
Aduaticum mea vota ſolum? curſúmne recuſans
Laudibus, anguſto virtutem limite ſtringet?
Cur titulos Anuerſa tuos harum inſcia laudum
Detitulat, multúmque tuis virtutibus obſtat
Has humili complexa ſinu? non illa labori
Præmia, non illis merces hæc debita factis.
Nobilitas compreſſa dolet, ſeſéque minorem
Credit, & impoſitæ vincens faſtigia molis
Exuperat, paruoque premi ſub pondere ceruix
Inuidet, impatienſque oneris ſe attollere tentat
Gloria, & indigno queritur irata labori.
Surge agedum, maiora decent; te ſacra repoſcit
Infula, promiſſumque decus, maioraque reddet
Munera, & auguſtâ radiantem fronte tiaram.
Excelſos excelſa decent. vix talia fatur,
Ingentes animos, aſſurgentéſque videres
Attollentem apices: ſic eluctata tenebris
Gloria, maieſtas ſic illuſtrata coruſcat;
Et circumiectæ depellit nubila noctis
Clarior emergens, & apertâ in luce refulget.
Conſequitur quò diua vocat, laudumque prehendens
Culmina, & oblata ſcandens faſtigia ſedis,
Se Cameracenis optatus mœnibus infert.

Theodorus Middelton.

G V I L I E L M V M properata mors Cameracenſibus abſtulit anno cIↄ. Iↄc. x. planè quaſi alienâ (vt fit) calamitate Antuerpienſiū luctus eſſet leuatura. Sed magna lacrymarum pars denuò ad nos eſt deriuata: quare

quare Leſſum functo perſoluit Theodorus Middelton.

QVos dignos referam gemitus? quæ prima querendo,
Quæ poſtrema ſequar? mecum lugubria tento
Murmura, at elingues cupiunt ſiluiſſe dolores.
Ergo iaces GVILIELME, *iaces ſpes vnica quondam*
Atque vrbi immortalis honos? tu triſtia iuſſus
Fata, & inexpletos mortis ſentire furores
Supremúmque diem? In luctus quæ carmina ſoluam?
Quos poſſim tentare modos? per tempora taxus
Serpit, & attonitam neruis plangentibus amens
Pulſo chelyn; placet heu, placet illaudabile carmen
Promere, & incomptè noſtros plorare dolores.
En Cameracenæ facies quàm flebilis vrbis;
Vt vigilum excubiis vrbs deſolata remotis,
Exſtincto tutore gemit, ſeſeque relictam
Conqueritur, clauſóſque premit ſub pectore planctus,
Et lacrymas, lacrymas clamat: dolor vnus vbique,
Vnus vbique dolor, leti vndique & vndique luctus.
En videt incuſátque malum, queritúrque, querenſq;
Abrumpit mutas in mortua membra querelas,
Dilectóſque premit vultus, & brachia collo
Iniicit amplectens, animamque per oſcula quærit.
Hæc ne vides, vincique potes, nec triſtia leti
Iura Anuerſa doles? tu planctibus adiice planctus,
Et luctum in luctus adiunge, in funera funus.
Sors eadem fatúmque tibi, tibi præſes & ille
GVILIELMVS *tutórque fuit, tuaque ambiit illum*
Infula, ſacratis ſtringentem tempora vittis,
Et dominum confeſſa ſuum eſt: æqualis amori
Certet amor, fletus alternis fletibus adde,

Et lacrymis lacrymas: fatum tua gaudia quondam,
Et mors antiquos rapuit crudelis amores,
Deliciáſque tuas: non hæc dedit oſcula ferre
Semianiméſque genas, oculóſque in morte natantes
Condere, & extremum largiri in funere munus;
Viuaces tamen hæc animis indulget amores:
Exſtinctum tu ſemper ama, poſt fata ſuperſtes
Spiret amor, memori exſtinctum ſub pectore condens.

POSTQVAM abierat Cameracum GVILIELMVS A BERGIS, diuinitus ad leuandam temporum calamitatem anno ∞. IↃC. IV. IOANNES MIRÆVS Bruxellenſis, vir natus ad propagãdam fidem Chriſtianam, ALBERTI ARCHIDVCIS deſignatione, Antuerpienſibus Præſul datur. Sed quantus ille vir fuerit, quàm ab omni ambitione alienus, audiat attonita poſteritas:

MIRÆVS
biennio toto DIGNITATEM oblatam repudiauit.

ERgone laſſato nondum veſtigia greſſu
Ceſſauere fugâ? quid deſolata fatigas
Pectora, & acceptos geminas MIRÆE *dolores?*
Vſque adeóne Anuerſa ſuis oneroſa tiaris?
Sic vitta ſublime decus, ſic aurea mitra

Gloria,

Gloria,& oblati deterrent pondera ſceptri?
Bis flauo exuti ſpicarum vellere campi
Phœbeum videre iubar,bis cana pruinis
Bruma ſuis niueâ ſubtexit gramina pallâ;
Nec te ſollicitis ſupplex Anuerſa querelis
Flectere,nec ſæuis potuit concuſſa ruinis?
Quonam hic vſque metus tituli ? cur inclyta vitas
Munera ? cur merito temet furaris honori?
Nónne vides,tumidis multùm ratis acta procellis,
Quam pelagi caſus tempeſtatéſque gubernant,
Æolij cùm clauſtra iugi montémque recludens
Ventorum pincerna truces diffibulat Auſtros,
Vt rapido volet alta ſalo , cæcoque rotatu
Æquoreum confundat iter ? ſic fluctuat inter
Vndantes Anuerſa minas, quam ſæua poteſtas
Oceani, errantéſque trahunt circum vndique venti,
Quæ dudum inſani pelagi turbata fragore
Orſa tibi: MIRÆE *veni; quônam vſque vocantem*
Fruſtraris? ſuccede meis Palinure periclis:
Adde manus, viduamque ſubi torquere carinam?
Quid ceſſas, iterúmne fugis? rurſúſne precantem
Deſpicis,& ſacra ſubducis colla tiaræ?
Quid iuuat obſcuris virtutem claudere ſeptis?
Erumpet,feret illa ſuas ad ſidera pennas,
Impatienſque premi,maiori luce prementem
Cinget,& æternis declinantem inſeret aſtris.
Nec cadet reiectus honos,dum cedis . at altâ
Qualiter æſtiuum qui decipit arbore ſolem
Huc illuc ſeſe ipſe rotans, dum frondea circum
Tecta ſuas latè lampas Phœbeia vires
Fundit,& inflexo Titan conuertitur orbe;
Cingitur incluſus radiis,multóque calore
Spargitur,& ſolem neſcit vitare ſequentem:

Sic

Sic magis atque magis virtuti debita ſpernens
Munera, & oblatos fugiens MIRÆE *fauores,*
Auerſa ſtringêre manu; circumque volutus
Nequidquam, merita ſertis decorabere vittæ.

Canebat Iacobus de Cater.

IOANNI MIRÆO
Epiſcopatum declinanti
Luſus, de vmbrâ corporis pediſſequâ.

IGneus æthereas Dictator ſcanderat oras,
Flammabátque poli vultus, nitidúmque cubile
Aſtrorum, lucis radio meliore premebat:
Cùm ſortè ardenti properans ſub ſole viator
Extimuit comites vmbras, obuerſaque præbens
Terga fugæ, propriæ trepidabat imagine formæ.
Plutonem laxaſſe Erebum, rupiſſe catenas
Eumenides, caſtriſque in ſe ſurgentia credit
Tartara, & exangues iterùm præludere manes:
Pennificat formido gradus: percurrit anhelâ
Fauce nemus, tremulumque agitant ſuſpiria pectus.
Illa fugit, ſequiturque tamen: ſimulatque labores,
Et domini motus imitatrix vmbra refingit:
Quoque rotat ſeſe, ſociata pediſſequa fertur
Nondum laſſa comes: greſſúſque fatigat heriles,
Velocéſque metus ſimulatrix pingit imago.
Sic poſtquam proprios diffudit pulchrius ignes
Virtutis MIRÆE *iubar, diraque tenebras*
Diſpulit inuidiæ; ſimulacra ſequacia famæ,
Auguſtoſque fugis titulos: famulatus honorum
Inſequitur, cingitque propinquis gloria turmis:

Vicinus

Vicinus te ſtipat honos, laudiſque fatigat
Vmbra tua : aſt mediis contrà luctaris arenis;
Aduerſáſque vibrans haſtas inimicáque tela,
In te bella moues, deluſáque fulmina dextra
Auctorem petière ſuum; propriiſque ruinis
Gaudent, & rabies cognatâ in imagine pugnat.
Qualiter auratâ quondam cum lampade Phœbe
Extuleras ſublime caput, dum nocte fauenti
Inſidiis, falſas fingèbas luce figuras,
Hoſtiléſque acies, ſigniſque micantia caſtra;
Barbarus eluſis torquebat ſpicula neruis,
Et proprias furiis ardebat ſæuus in vmbras.
Non fugies vmquam MIRÆE *ſequacia morum*
Præmia, non fugies vmbrantia præmia vitam,
Dum virtus titulorum emptrix aut vita recedat.

Hieronymus van Seurck.

IOANNI MIRÆO
Hæreſios fortiſſimo expugnatori.

B*ElgI deliciæ, ſacra & ſincera bonorum*
Congeries MIRÆE *veni : procede ſecundis*
Alitibus, meritáque caput conſtringe tiarâ,
Et ſacrum dignare pedum. Quónam vſque retardas
Aduatici pia vota ſoli ? ſuccurre ruenti
Heu Patriæ. tibi ſe hæc dudum reparanda reſeruant
Sæcula, Barbaricis quondam concuſſa ruinis.
Tu doctus læſæ ſqualentia vulnera pacis
Impoſitâ ſanare manu, fœcundáque culpæ
Tempora in antiquum rurſus reuocare metallum.
Nunc, MIRÆE, *nefas, iam nunc decet ire recentes*

Deter-

Deterſum maculas; longo poſt læſa veneno
Membra, Machaonias nequidquā admoueris herbas.
En conſanguineos in prœlia concitat hydros
Hæreſis, & mœſtos latè graſſata per agros
Campiniæ, inſano concuſſas turbine gentes
Mouit, & infandis turbauit templa rapinis,
Quæ ferro tetigiſſe nefas; ſimulachraque Diuûm
Aurea, diffuſo penitus liquefacta metallo,
Ad proprias traduxit opes. lacerata profanâ
Vaſa manu, & ſacras ſonipes ſtabulatus ad aras,
Te, te nauifragis bellorum ſidus in vndis
Sperant, téque ſimul iuſti ſontéſque precantur.
Te Pietas orbata vocat, depulſaque terris
Iuſtitia, & ſacros tibi circumcingere crines
Infula prona rogat. Quid tardius ore ſereno
Annuis, & roſeos accendit purpura vultus?
Tandem flecte tuum, qui flectes cuncta, pudorem,
Magne Parens. Te Battauicis excitus ab oris
Cattus, & innumero te conſulet agmine Belga.
Te viſent alio volitantes orbe Britanni,
Erroréſque ſuos & credula pectora ponent.
Qualiter, abſumptis cum latè meſſibus, ægrum
Sæua pecus tenuauit hiems, ſiluiſque viiſque
Corpora fœda iacent; longo ſi frigore pulſo
Blanda ſerenati facies ſe pandat Olympi,
Ruraque mulcenti Zephyri tepefacta ſereno
Parturiunt fructus, ſtabulis armenta recluſis
Erumpunt ſubitò, & lætas vbi vallis apricæ
Planicies profudit opes, ſurgentia tondent
Germina, & exhauſtæ reparant caſſa vbera matres.

Gaſpar Geuartius.

Non

Non continuit ſe paruo Antuerpianæ vrbis complexu MIRÆI. induſtria, ſed vicinos circumquaque ditionis ſuæ pagos, peruagata eſt. Lupos emittebat, pactis confeſtim Induciis, ex caueâ Hollandicâ Pſeudominiſtrorū calliditas, quibus Catholicos tamquam ad beſtias condemnatos lacerarent. Quid ageret MIRÆVS? O bonum factum! ſacrum cogit Militem, quem poſtquam domi ad omnia pietas & eruditio formaſſent, tamquam è Seminario Fidei produceret in arenam. Hoc canit Dingemannus Ianſſen Boy.

QVantùm Romanum robur, lacerúmq; Senatus
Corpus, & inualidam ſolidatis viribus aulam
Confirmauit eques tradux, Cenſore probante
Cùm ſumpſit patrios habitus, & more Gabino
Diſcolor emicuit legio vectura curules,
Cumque armis ceſsêre toga, & tentoria lictor
Ambiuit, mediiſque effulſit curia ſignis,
Vt regat Heſperium curis æqualibus orbem,
Senſit bellipotens flauo Germania Rheno
Attonita, excuſſitque ſuas formidine ſiluas
Caucaſus, & poſitis vires confeſſa pharetris
Thracia, cùm rabidi creſcentia fulmina Martis
Scipiadas, atque hoſtili flagrantia bello
Pectora (qua Latium generoſâ mente Senatum
Confirment) Pauli micuerunt iudice ferro:
Sic MIRÆE *tuum clarâ virtute Batauus*
Robur, & adiecta cognato limine Bredæ

Obſtu-

Obſtupuere nouis munitas viribus oras,
Feſſaque ſopitis ſpirauit Belgica ſectis;
Cùm tot in armatos fines, aciemque gementis
Campiniæ, SACRVM *ſpirantia pectora Mártem*
Magnanimis duxiſti aquilis, circumque maniplos
Ipſe aderas hortator agens, flammataque firmans
Prælia in hæreticas vrgebas fortiter alas.
Hos MIRÆE *libens titulos tibi Belgica ponet:*
Per te ſeruatos Bredæ *confinibus agros;*
Quidquid & Aduaticos inter Bredámque dolendo
Terrarum iacuit ſpatio, MIRÆE, *ſalutem*
Fortunámque fidémque tuæ debere tiaræ.

OPTIMO PRAESVLI IOANNI MIRÆO EPISCOPALIS Seminarij Erectori.

VEnalis vrbis mœnia barbarus
Viciſſet hoſtis, & Capitolium
Iugurtha ſcandiſſet, ſubactis
Conſulibus; niſi lege iuſtâ
Plebeius Arpinas ſibi purpuram
Sumpſiſſet, auróque inſuperabilis
Donis ſubactorum pudorem
Ipſe ſuis aboleſſet armis;
Iam ſubiugaſſent Cimber & Ambrones
Et victa haberent mœnia Teutones,
Románque terrarum parentem

Barba-

Barbaricis premerent catastis.
Vrbem teneret Gallus & Hannibal,
Si Conſularis Patricio toga
Ceſſiſſet vni, nec ſecures
Vrbs Equiti poſuiſſet aequas.
Teſtes Camilli, Fabricius dati
Contemptor auri, tuque Vticæ ferox
Qui nomen à fato tuliſti,
Túque Deci generoſe magni
Profuſor aui, Martia fulmina
Teſtes meorum Scipiadæ, Africæ
Numantiaque bellicoſæ,
Atque Aſiæ domini ſubactæ.
Sic ſubiugaſſet Hæreſis impia.
Vicina Bredæ compita mœnibus,
MIRÆE, *ni tuus ſatelles*
Hæreticos repuliſſet auſus.
Educis altis è penetralibus
Inſtructa doctis pectora litteris
Quæ ſigna barbaræ Meduſæ
Hæreticaſque aquilas reuellant.
Teſtes Batauis Breda furoribus
Vicina, quantas contuderit minas,
Quantóſque portarit triumphos
Præſulis hæc legio MIRÆI :-
Aſt inſtituti gloria militis
In te redundat PRÆSVL, *habes tibi*
Auctore te quidquid peregit
Lecta tuo legio labore.

Conrardus Tucherus.

Parum erat MIRÆO ſacras ſcripſiſſe copias, paratum habere Theologorum robur hæreticis oppugnandis: ipſe voluit in aciem primus prodire, boni Imperatoris more, ne ad inexperta militem ablegaret. Neque ita putabat Tribunis in vigiliarum luſtratione eſſe confidendum, vt non aliquando ipſemet per ſtationes teſſeram iret expoſtulatum. Obiit ergo omnes Campiniæ agros Bredam vſque, ceteroſque ditionis ſuæ pagos; lapſos mores erexit, Eccleſiaſticorum iuxtà ac ſæcularium animos inſtaurauit. Id cantat Iacobus de Cater.

Qualiter occiduo cùm ſe Titania fluctu
Lumina, & emeritas inflectere Phœbus habenas
Cœperat, atque alto radios ſubducere mundo,
Cùm rutilum cæli vulgus nitidaſque cateruas
Pandebat, niueos ducens nox flammea ciues,
Cùm dederat velox Romanis teſſera ſignum
Excubiis, poſitaque vices; Dux noctis opertæ
Scrutari vigilum turmas, ambire Tribunus
Mœnia, & alternâ ferri ſtatione, nigraſque
Perluſtrare vias; nocturnam aduertere curam,
Diſcurrant, variéntne vices; longáſne tenebras
Inſomni vigilans ducat cuſtodia vultu;
Num tumidas vino ſedarint otia mentes,
Furque oculi, pacata quies; num languida ſomno
Pectora, diſtinctos edat num buccina cantus:
Sic dum Bredanos percurrens Hæreſis agros

Latius

Latiùs inſanum fundit violenta venenum,
Ignaráſque graui cingens indagine mentes
Nigrantes circum truculentior explicat alas;
Non te, ſacrata qui ſiſtat robora dextra,
Obſedit MIRÆE *ſopor, generoſior artus*
Exeris, & validas armans in debita vires
Prælia, ſubiectis quæ ſit vigilantia caſtris
Rimaris, poſitaſque ambis MIRÆE *phalanges*
Militiaque rudis pugiles, & ruſtica luſtras
Agmina, vicinoſque agros & ſubdita viſis
Rura, nec immenſa furaris pectora cura,
Dum ſegnes animos, titubanteſque ipſe cohortes
Arguis, & reduces ſuades agitare labores,
Dumque auges vires, queîs frangi neſcia virtus,
Queis æui ſine nube tenor, quibus integer anni
Spiritus, inflectique nequit, dum prodiga lucis
Exundat mens alta ſua, feruórque reſurgit
Degeneri, extinctiſq; redit noua flamma medullis.
O amor! ô nullâ ſidentes mole lacerti
PRÆSVLIS! *ô nullo curarum ſaucia motu*
Pectora! tu timidos rediuiuis ignibus imples,
Audaces præſens hortaris, ruráque circum
Et varios percurris agros, dum parturit auſus
Nocte nouos, quos manè probet, pariátque benignas
Mens artes, queîs degeneres flammare clientes
Deſuetóſque animare viros, poſſitque ſolutam
Militiam elatis iterùm componere ſignis.

Niſi laus eſſet, ab hæreticis etiam contemni; eſſet profectò, vnde ordiremur iracundiam. Quid agunt liuidi illi calumnia-

 tores?

tores? Audi Inuidia, & perfrica frontem. IOANNEM MIRÆVM virum temperantiã planè inſignem, audent de crapulâ, de vomitu, de ebrietate traducere. Mortuus eſt, inquiunt, cùm aulicis ſe ingurgitaſſet cyathis. O mendacem Calumniam, quam & publica & priuata Medicorum ſcripta iugularunt! non quærimus ergo maiora cauſæ præſidia; ſed luſu Satyrico Conrardus Tucherus mendacium trucidabit.

QVi ſit, Pantolabi ſemper ſua crimina iuſtis
Appingant, nebulóque ſuis examinet vlnis
Vitam aqui? mœchus mœcho, fur nomina furi
Obijcit, éque ſuâ vibrat deprompta pharetrâ
Spicula, in alterius fortaſſe hæſura cerebro;.
Luſcos appellat luſcus, ſic ſemper in ipſos
Auctores obiecta cadunt. Nouus hæreſiarcha
Ipſe vehens ventrem, qualem ſubijſſe laborent
Herculis Atlantiſq; humeri, quo non velit Ætnam
Mutare Enceladus (nam tanto pondere ceruix
Deficeret, cadcréntque ingentia colla Gigantum.)
Genua tegit venter, luxuque Vitellius alter,
Aduaticus, clamat, PRÆSVL *ſub pondere menſa*
Succubuit, cyathiſque efflauit ſpiritum in ipſis.
Inuitatus enim, Bruxellam ex tempore abiuit
Ventripotens mitra dominus; vbi ſera moretur
Cœna, rogans, ſecúmque trahens inglorius vmbras
Fumoſam ingreditur, ductus nidore, culinam.
Iámque pater cœna loca cuique aſſignat, eúmque
Pertrahit ad ſedem: primus ſedet, & iacet vt bos,

Et

Et totus ardet ſimul euacuare lagenas.
Non conuiuarum flexit reuerentia, ſolus
Cœnam ipſam abſorbet, tamquam moriturus inultus,
Ni totam grauido portaret ventre culinam.
Nil mouit rapida ora calor, deglutit hianti
Fauce; velut digiti, pectúſque & viſcera ferro
Obducta, intrudit pariter cum carnibus oſſa,
Ceu cadat in foueam cibus, atque in dolia Bacchus.
At dum ſic glutit veluti de ſanguine certans,
Fata adſunt: pallet ſubitò, modò ſudor ad imos
Promanat talos: mox cùm ſibi ſcit moriendum,
Maiores poſcit calices, vertítque tremente
Vix cyathos dextrâ; reſtantes ſpiritus auras
Elueret penitus, ni ſe conuiua tuliſſet
Obuius, & paraſitum caſtigaſſet acerbè:
Defertur potos inter, benè potus, aceruos,
Paululùm adhuc ſpirans, mediâque in morte lagenas
Expoſcens: ægri cadit æger anhelitus oris.
PRÆSVLIS *hic finis, hac illum ſorte epulonem*
Parca tulit, ſanctæ ſunt hæc epicedia vitæ.
Hæc habeo quæ dicam, hic PRÆSVLIS *exitus, hic eſt;*
Aduaticos inter voluit qui ſanctus haberi.
Cetera prætereo. bone Iuppiter! & bona Iuno!
Quid precor hæreticus clamat? quid grunnit Vlyſſis
Dignus harâ porcus? ergo inter pocula PRÆSVL
Concidit, abſumptas reuomens cum ſanguine carnes:
Vidi, ait, ingenti vix præ pinguedine craſſum
Tollentem à menſâ corpus, vomitúmque per ipſum
Ora volutantem, vidi ipſo ex limine, rimam
Per tenuem ſpectans, naſóque in cardine preſſo.
Quid faris? támne eſt longus tibi Battaue naſus,
Tamque ſagax oculus, qui Bruxellam vſq. vagetur?
Id nihil attinet ad te: vidi, hoc ſufficit vnum.

Nunc perge ad Medicũ: ſtomacho qui inuenit aperto,
Cùm cultris tenſum ventrem, & diaphragma ſecaret,
Ingluuiem immenſam, quâ piſces paſcere poſſis,
E gemino, quotquot conuerrunt retia, ponte.
Perfide mentiru, mentiris ſcurra. quid? hoc ne
Sic habet? heus Medicum nunc audi; iurat in ipſo
Inuentum ſtomacho quantum coniuncta teneret
Palma manus. Quid ad hæc? das herbã perfide, & haſtã
Abijcis? obtritum caput eſt, caudáne minaris?
Supplex de genibus poſcis, nebulo! caue ne nos
Vſque remorſuros mendaci dente laceſſas.

Helluonibus clandeſtinis, nouis Cenſoribus menſarum publicarum,

Satyra II.

Ergo iterùm inflatis ructans dicteria buccis
Aduaticos naſo Batauus ſuſpendit adunco,
Et plenis audet conuitia ſpargere plauſtris?
Nec ſatis hæretico plebem infeciſſe veneno,
In mitras vomuiſſe placet, ſanctúmque tiaræ
Pondus, & Anuerſæ vitiaſſe inſignia vittæ?
Vnde ruas, tabulata ſtruis. quid enim impie, mitra
Morſu digna tuo? ſed fige hoc marmore dentem,
Offendes ſolidũ. Quiſnam hæc? quiſnã hiſcere cõtrà?
Prompta mihi ratio, patet hoc, patet. O Caluine!
Vſque adeóne nihil vigiles perducere noctes,
Dum menſæ, dum vina placent, dum pinguia omaſo
Viſcera, & vndanti iuuat artus tendere Baccho?

Dum

Dum iuuat & viuum turdis implere ſepulchrum,
Et variis onerare auium præcordia bellis?
Euge epulis, euge, indulge, memorabile magni
Gutturis exemplum. cernis vertigine multâ
Vt tecum motis ſaltent pallatia ſaxis?
Pol ſi iam bifido rutilantem culmine mitram
Aſpicias; clames, bis binos tollere conos.
Dum natitant oculi, dum circùm palpitat ægrum
Corpus, nec viuum credit ſeſe eſſe cadauer,
Dúmque ſuum portat ſecum mare, nec ſine piſce:
Dũ fluit hinc crudus pauo, hinc olor, hinc acipenſer,
Internóque ſtrepunt iurgantia viſcera motu,
Seditio veluti ranarum aut putidius quid,
Donec inundantes per carnea littora fluctus
Intumuere, & vicinos ſparſêre penates:
Hinc mors præpropera, atque hinc inteſtata ſenectus.
Ecce iacet, iacet heu caput ægrâ inſigne tiarâ,
Ducitur & mœſtis lugendum funus amicis.
Perge: nihil ſupereſt? conuitia nullà? quid hæres?
Quid ceſſas? ſubito quin addis corpora tabo
Et turpi putruiſſe lue? vt fœtentia vini
Multipedes Calui minuerunt pectora vermes?
Quid pudet hoc? falsâ ſi non pudet impia linguâ
Fingere, nec patrio mendacia ſpargere ritu?
Prô ſcelus! an paruos calices & ſobria vina
Delibaſſe virum, & quantum natura petebat
Adiunxiſſe cibi, ignoras clamoſa propago?
Non hic, vt lautâ Cerere, indomitoque Falerno,
Inflaretque epulis extenſos grandibus artus,
Ad fauſtas accitus erat menſas Hymenai:
Aſt bellum vt ventri indicens, ſtomachóque famenti,
Arceret propriâ à conuiuis pocula normâ
Fecundam factura ſitim, nocituráque menti.

 Sed

Sed vitium Batauo craſſum & pregrande videtur,
Si viuis modico,nec finem extra mediocrem:
Cui,quoties rutilum referat ſol aureus orbem,
Turpe toral toties reduci ſubmergere Baccho
Iucundum,& crudis iterùm perfundere turdis.
Illa dies perit, denſo ſtipatus Iaccho
Quâ deformis aqualiculus non ſeſquipede extat.
Hinc ſubiti motus, hinc bella,hinc prælia,rixaque,
Et,modici ſiquis non tranſit dona Lyæi,
Nocturnus tamquam potor,potórque diurnus,
Carpitur . hem lynceo tu poſſis dicere luſce
Luſcus? quid cùm oculis videas tua lippus inunctis
Crimina,cur aliorum tam rimaris acutis?
Aſpice,qui puri diſpergit ſemina verbi,
Pulpita cùm quondam Caluinia ſcandere , & almam
Fratribus atque ſororibus altè exponere legem
Venditor arcani verbi & propola pararet;
Pocula erant libri,& lauta conuiuia menſa,
Hoc ſtudiis aptum Muſæum: dicere deinde
Aggreſſus,crebraque euoluere Biblia turba;
Vah, crudos pro voce cibos,& olentia vina,
Fundere,præſentéſque etiam turpare cateruas.
Ipſe etiam externæ circum vndique fercula cœnæ
Mendicans,animal propter conuiuia natum
Caluinus,quoties plateas fœdare recoctis
Sordibus,& tetras alui exonerare cloacas,
Quales non atros voluens Camerina vapores
Annoſúmque lutum fundat,Patroclíque latebræ?
Quid bibulos memoro proceres, atauóſque Batauos?
Poſteritas vitiorum heres,patruíque Lyæi,
Continuus cùm epulis gaudet putere,meróque;
Ingeminat,ſtrepit: Harpyiá gula digna rapaci
Præſulis Aduatici! Batauo qui parcior omni.

Sed video,video,lurcones atque bibones
Oderunt fecunda negantem pocula,& altos
Mazonomos , agitant , vitiant, lædunt,cruciántque
Immeritos,carpunt dum ſanctos,maſſici amantes.
Stultus & improbus hic animus: deſcendere nũquam
In ſeſe,ſed præcedens quid mantica portet
Rimari penitus . qui multo tubere fœdus,
Æquum eſt,alterius verrucam haud exprobret. At nunc
Omnia eunt præpoſtera, turpis adulter honeſtum,
Ieiunum potor damnat,comémque ſuperbus.

Iacobus de Cater.

AD te tandem, REVERENDISSIME ANTISTES MALDERE, reuertitur oratio noſtra; trepidat illa, atque incerta adhuc hæret velut in biuio conſtituta. Veretur ne grata ingratáve videatur, pro rerum quas dixerit magnitudine vel tenuitate. Sed pergendum eſt tamen, *cùm ſciamus etiam Deos non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiá & ſanctitate lætari, gratioremque exiſtimari qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.*

Plinius in Panegyrico Traiani.

Hoc tibi Reu^{me} PRAESVL liberè acclamari poteſt, & tam ſine adulatione quàm neceſſitate laudum noſtrarum: Si adhuc dubium fuiſſet, fortè caſuque Rectores terris, an aliquo numine darentur, te tamen liqueret diuinitus eſſe conſtitutum. Ita profectò eruditio tua, peruerſis hiſce temporibus; prudentia, ſacræ Reipublicæ admini-

ſtran-

ſtrandæ ; modeſtia continendæ inſolentiæ ; virtus denique, vitiis conuenit exturbandis. Planè vt factus & natus ætati huic noſtrę, & Antuerpienſis Epiſcopatus gubernationi videare, Olim quidem, & dudum antehac, in eam dignitatem euocari merebaris, ſed neſciſſemus quantum tibi deberet Reſpublica, ſi antè euocatus eſſes. Illud tempus expectatum eſt, in quo liqueret non tam accepiſſe te beneficium quàm dediſſe. Quando enim aliàs ita anxiæ fuerunt res Catholicorum, quando ita corroborata hæreticorum audacia? quando ita fracta morum integritas, quãdo magis tamen oppugnata? quando tam afflicta laborauit Pietas, & vehementiùs tamen conquaſſata? Tu tu MALDERE Præſul optime, leuandis tantis calamitatibus ſacro imperio accedere debuiſti. Confugit in ſinum tuum Antuerpia, tamquam ad aram ſecuritatis; protegere debuiſti. Infulam capiti tuo impoſuit; onus accipere debuiſti.

buiſti. Et hoc libentiùs, quo tuâ ſe manu indigere magis commōſtrauit, cùm non inquilinum te ſuum, ſed externum, è magno illo Theologiæ Theatro, Louanio inquam, euocauit. Nec illa profectò aberrauit, te optando; neque ALBERTVS Archidux prudentiſſimus, adoptando. Teſtabatur domus ipſa quam regebas, quantus eſſes moderator; domeſtica dicendi diſſerendíque exercitia, quantus animorum curator; publicum docendi munus, quantum eſſes Theologiæ ornamentum. In quibus omnibus ita ſemper verſatus es, vt, ipſo veluti Numine ad Dignitatem te aptante, priuata omnia perdiſceres quæ mox eſſes præcepturus; atque ita exactè & prolixè, vt docendi tempore nihil iam habeas noui perdiſcendum. Ignoſce PRAESVL REVERENDISSIME, ſi in tot laudibus tuis quæ ſuperſunt, liberiorem non tentemus excurſum; cogis ſilere nos, verecundo tuo pudore, quo noſtra te en-

te encomia onerare videntur. Veniet illud tempus, cùm ſe, poſt fata, magnis chartis virtus tua ſinet celebrari. hos tamen lubens etiam nunc titulos patiaris.

REVERENDISSIMO ANTVERPIENSIVM PRÆSVLI IOANNI MALDERO PLAVSVS.

Qualis, Atlantei cùm ſuccubuere lacerti
Æde fatigati ſuperâ, calíque prementis
Pondere, ſtelliparo ſucceſſit ſtrennuus orbi
Amphitryoniades, paribúſque innixa polorum
Atria, pendenteſque tulit ceruicibus axes;
Heu! viduas ſedes, & deſolata precantis
Aduatica MALDERE *ſubi molimina vittæ.*
Tot proauûm ceſſere manus, non mole tiaræ,
Non grauido ſacri laſſatæ robore ſceptri:
Sed quos atra dies, quos irreuocabile ſtamen
Abſtulit, & ſolito leti violentia caſu:
Dum cunctis illæſa fides, virtúſque ſupremo
Fine vigil, mediáque etiamnum in morte ſuperſtes.
At modò quem vacuæ deceant inſignia vittæ;
Lumina? ſufficiant tantis quæ pectora curis?
Te ſacris mundi ſtudiis calíque vacantem,

Te

Te Maldere *vocat, te te complexa poteſtas*
Euehit, & dignum meritis imponit habenis.
Incola te mentis probitas, pietáſque per omnes
Diſpenſata fibras, magna ad faſtigia ducunt,
Inuitúmque petens circùm veſtigat & altis
Ornat honor titulis. Sic te teſtatur & offert
Celſa poteſtatis ſpecies, quæ culmina rerum
Scandat, & immenſa non ſidat mole coronæ.
Ergo veni Maldere, *pares extolle lacertos,*
Tolle pares oneri vires: te debita mitræ
Serta vocant. ſuccede nouo, ſuccede labori,
Quem facilem præſtabit amor virtutis, & acris
Canicies animi imperio moderabitur æquo.
O venient, venient (vtinam poſt ſæcula mille
Mille ſenis Pylij) venient ô tempora, cùm te
Herculeos inter proceres, atque inter Atlantas
Aduaticos, altâ tacitè cùm voce loquentur
Et tua victura celebrabunt nomina charta.

Iacobus de Cater.

QVEM-

QVEMADMODVM laudatis olim Imperatoribus, populo deinde Romano Quiritibúſque Felicitatem ſuam gratulabantur Panegyriſtæ; rectè atque ordine facturi videmur, ſi narratis Epiſcoporum encomiis, reliquo Eccleſiaſtico Magiſtratui, Canonicorum, totique Antuerpienſis Cleri frequentiæ ſuam prædicemus beatitatem. Vt enim in filios, paternorum facinorum laus etiam deſcendit; non minima profectò rerum pars benè geſtarum, in Cathedralis Eccleſiæ cœtum deriuatur. Stellas videmus communi ſolis lumine fulgere, & non ſuis etiam radiis illuſtrari; cur non ſimili lege, Antiſtitum facta, partito honore Clerum ſuum decorabũt? Planè ita fit, ſed vno tamen diſcrimine. nam cùm hæc ſit natura ſideribus, vt parua & exilia, validiorum exortus *Plinius Paneg. ad Traianum.*

obſcu-

obſcuret : maiores quidem omnibus fuerunt Præſules veſtri, ſed ſine vllius deminutione maiores. Eamdem enim auctoritatem præſentibus illis, omnes quam abſentibus ſemper retinuiſtis. Quin etiam pleriſque ex eo reuerentia acceſſit, quòd illi, licet dignitate maiores, vos tamen ob vitæ laudem ſingularem reuerebantur.

Dicemus non liberè minùs quàm verè (quod de Romanis olim exteri illi Legati, qui tot Reges quot Senatores vidiſſe ſe clamabant) quando ampliſſimum conſeſſum veſtrum intuemur, tot nobis Epiſcopos eſſe videri, quot Sacerdotes. Atque id quidem, ſeu à propriâ veſtrâ virtute proueniat, ſeu ex Antiſtitum veſtrorum vitâ, ad quam vos ſemper conformatis: nec minorem meretur apud omnes laudem, nec minorem apud nos gratulationem. Magnis ergo vocibus atque EX SENTENTIA, OB HAEC QVIBVS NEC MAIORA DICI, NEC CO-

COGITARI A QVOQVAM POSSVNT, GRATVLAMVR VOBIS VIRI AMPLISSIMI, DEVMQVE VENERAMVR, ITA DIV VRBI HVIC, DIGNITATI VESTRAE, SVPPLICATIONI NOSTRAE PROPITIVS, VOLENS, LVBENS, ESSE VELIT, ET VOTVM HOC RATVM ESSE IVBEAT.



APPROBATIO.

HAec Fama Poſtuma Antuerpienſium ANTISTITVM, *digna quæ typis mandetur ad impia maledicorum ora obturanda, & Eccleſiam* CHRISTI *ex ſuis* PRAESVLIBVS *illuſtriorem reddendam.* XXX.*Iunij, anno* M. DC. XI.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

Digitized by Google

Svmma Privilegii.

ALberti & Isabellæ Claræ Evgeniæ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum eſt, ne quis *Famam Poſtumam Præſulum Antuerpieñſium, vulgatam à Rhetoribus Collegij Societatis* Iesv *eiuſdem Ciuitatis*, præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthaſaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p. m. voluntatem, intra ſexennium excudat, aut alibi terrarum excuſam, in Inferioris Germaniæ ditiones importet. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorũ, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ xiv. Iulij, m. dc. xi.

Signat.

Buſchere.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD VIDVAM ET FILIOS
IOANNIS MORETI.
M. DC. XI.


LABORE. ET. CONSTANTIA.

Digitized by Google